

ist. Snec.  
/538



~~H. S. 575 a~~

Hist. Luc. 780.







Bot  
Sol an


B  
J  
I



OFFICIA PROPRIA  
SS. PATRONORUM  
REGNI SUECIÆ.

Ex vetustis Breviariis ejusdem Regni  
deprompta:

Ad instantiam Serenissimi SIGISMUNDI III.  
Sueciæ & Poloniæ Regis, à Sacr. Rituum  
Congregatione, auctoritate Apostolica, re-  
cognita, & approbata, atque omnibus tam in  
dicto Sueciæ quàm etiam Poloniæ Regno ha-  
bitantibus concessa, ut liberè & licitè, trans-  
latis vel omissis aliis Officiis, quæ eadem die  
occurrunt, recitari possint & valeant.



COLONIÆ AGRIPPINÆ.  
Sumptibus BALTHASARIS ab EGMOND.  
& Sociorum.  
MDCCXXV.



Sueciæ Regni Episcopatus.

UPSALIENSIS ARCHIEPISCOPATUS.

LINGCOPIENSIS

SCARENSIS

STRENGENENSIS

AROSIENSIS

VEXIONENSIS

ABOENSIS

EPISCOPATUS.



**O**FFICIA hæc propria sanctorum Patronorum Regni Suecia, aliàs sub die VIII. Januarii, MDCV. in Sacra Rituum Congregatione proposita, & ad instantiam Serenissimi Sigismundi Polonia & Suecia regis approbata, cum Scholiis in margine positis à Reverendissimo D. bon. mem. Cardinali Baronio, & cum facultate ut in Regno Suecia liberè & licitè recitari possint, & imprimi valeant.

Iterùm ad instantiam ejusdem Serenissimi Regis, in eadem Sacra Rituum Congregatione proposita, cum petitione ut possint sine dictis Scholiis Cardinalis Baronii imprimi. Et non solum in Regno Suecia, sed etiam extra dictum Regnum recitari valeant ab omnibus Christi fidelibus, qui illa ex devotione recitare voluerint, etiam cum Octavis; ut olim in Regno Suecia recitabantur: & ut etiam unius aut duorum præcipuorum Regni Suecia Patronorum Festa & Officia in Breviario Romano inserantur.

Eadem Sacra Rituum Congregatio, audita relatione Illustrissimi & Reverendissimi D. Cardinalis Bellarmini, cui hanc Officiorum revisionem commiserat, & facta relatione de præmissis omnibus, S. D. N. ab eodem Illustrissimo & Reverendissimo D. Cardinali Bellarmino juxta prædicti Serenissimi Regis Polonia novam instantiam, ac de sua Sanctitatis assensu & mandato, censuit posse concedi prout concessit, ut prædicta Officia imprimi possint, & imprimantur sine prædictis Scholiis bon mem. Cardinalis Baronii, & juxta emendationem factam in textu à prædicto Reverendissimo D. Cardinali Bellarmino: & ut ab omnibus Christi fidelibus, qui ex debito non tenentur recitare Officium divinum, ex cujusque devotione recitari possint: & ab aliis etiam omnibus, qui Officium divinum recitare debent, dummodo non omittant alia Officia ad quæ tenentur. A Suecis verò omnibus, etiam extra Regnum Suecia habitantibus, & ex concessione S. D. N. Papæ ab omnibus etiam non Suecis in Regno Polonia habitantibus, recitari possint quando occurrunt, etiam cum Octavis, ut olim in Suecia recitabantur & celebrabantur, translatis vel omissis aliis quæ eadem die cadunt, juxta Regulas Breviarii Romani, & cum facultate retinendi Hymnos in prædictis Officiis annotatos, vel arbitrio Regis cum consilio peritorum mutandi, & in locum prædictorum aliis elegantioribus Hymnis recentius compositis subrogandi, prout Majestati suæ melius videbitur. Et ita eadem Sacra Rituum Congregatio censuit & declaravit, ac de mandato & Ordine ejusdem S. D. N. Papæ servari mandavit, die XXVIII. Maji, MDCXVI.

A. Mar. Episc. Ostiensis Card. Gallus.

Jo. Paul. Mucantius Secret. Congregationis.



**KALENDARARIUM**  
**SS. PATRONORUM**  
**REGNI SUECIÆ.**

**JANUARI.**

- 6 Missa fit pro statu Regni de sancto Erico.  
10 **S. Henrici Episcopi & Martyris. duplex.**  
24 Translatio S. Erici Regis & martyris. **duplex.**

**FEBRUARI.**

- 4 **S. Ansgarii Episcopi & confessoris. duplex.**  
15 **S. Sigridi Episcopi & confessoris. duplex.**

**MARTII.**

- 23 **S. Catharinæ Vastenenensis, filiæ S. Birgittæ. duplex.**

**MAII.**

- 18 **S. Erici Regis & martyris. duplex.**

**JUNII.**

- 12 **S. Æschili Episcopi & martyris. duplex.**  
21 Missa fit pro statu Regni de Sanctissima Trinitate.

**JULII.**

- SS. Patronorum Regni Sueciæ Dominica proxima post Octavam  
SS. Apostolorum Petri & Pauli. **duplex**  
15 S. Davidis Abbatis.  
28 **S. Borvidi Martyris. duplex.**  
29 **S. Olavi Regis & martyris. duplex.**  
30 **S. Helenæ viduæ & Martyris Scodevenas. duplex.**

**AUGUSTI.**

- 2 Commemoratio S. Catharinæ Vastenenensis, filiæ S. Birgittæ.

**SEPTEMBRIS.**

Festum Reliquiarum in Ecclesia Upsalensi, Dominica proxima post  
Festum S. Matthæi Apostoli. **duplex.**

**OCTOBRI.**

- 6 Translatio S. Æschili & martyris. **duplex.**  
7 **S. Margarietæ viduæ. duplex.**

O F.



5

# OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORUM REGNI SUECIÆ.

**DIE XIX. JANUARI.**

**In festo S. Henrici Episcopi & martyris. Duplex.**

**Ad Vesperas, Antiphona. Qui me confessus fuerit. cum reliquis de Communi unius Martyris.**

**Ad Magnificat, Antiphona.** Gloriosum Pontificem Henricum, post multiplicem virtutem qua floruit, per mortem quam sustinuit, victorem vexit hodie Christus in templo gloriæ.

**Oratio.**

**O**Mnipotens sempiterne Deus, qui B. Henrico martyri tuo atque Pontifici, glorioso triumpho martyrii largitus es palmam: ejus quæsumus, meritis & precibus gratiam nobis largiaris & gloriam. Per Dominum.

**Ad Matutinum, Invitatorium, Hymnus, Antiphonæ, Psalmi, & omnia alia dicantur de Communi unius Martyris exceptis quæ hic assignantur.**

**In primo Nocturno leguntur Lectiones. A Mileto. de Communi unius Martyris.**

**In secundo Nocturno.**

**Ex Scriptoribus rerum Suecicar.**

**Lectio IV.**

**R**

Egnante in Suecia sancto Rege Erico, Henricus ex Anglia oriundus, vitæ sanctitate & morum honestate clarus, atque propterea à Rege specialis familiaritatis gratia honoratus, Upsalensem regebat Ecclesiam. Quibus quasi duobus luminaribus, populus terræ illius ad veri Dei notitiam magis ac magis illustrabatur. Edificabatur tum crescens in timore Dei Ecclesia, justitiæque & pax inter subditos propagabatur, cum Rex sedens in solio, intuitu suo omne

malum dissiparet, & bonus pastor super custodiam gregis sui sedulo vigilaret.

**B.** Omnes gentes jubilate, Deo cæli exultate, gaudeat Finlandia; læti Deum collaudate, **Et** Henrici celebrate læta natalitia. **V.** Hic effulsit honestate morum, verbi veritate, vitæ sanctimonia. Et.

**Lectio V.**

**C**um verò plebs Finlandiæ, tunc à vero Deo aliena, incolis Sueciæ gravia damna frequenter inferret, sanctus Ericus Rex, assumpto secum beato Henrico Upsalensi Episcopo, collectoque exercitu, contra nominis Christi & populi sui inimicos expeditionem fecit. Quibus fidei Christi & suo subjugatis dominio, baptizatis plurimis, & fundatis ibi Ecclesiis, in Sueciam cum gloriosa victoria rediit. Beatus vero Henricus, ad irrigandas imbres cælestis doctrinæ novellas plantulas, & corroborandum Dei cultum, in partibus illis remansit, non metuens se quibuslibet adversis exponere. ut possit Dei gloriam dilatare.

**B.** Sanctus cujusdam impii redarguit sævitiam, ut reus homicidii subiret pœnitentiam, **Et** pœnitens flagitii consequeretur veniam. **V.** Qui salubris remedii sprevit infelix gratiam. Et pœnitens.

**Lectio VI.**

**E**O igitur ædificationi & confirmationi Finlandensium Ecclesiæ prudenter & fideliter insistente, accidit ut quidam homicidii reus ad eum deferretur. Quem ob ipsius facinoris immanitatem, cum Ecclesiastica disciplina corrigere vellet, vir ille sanguinum, salutis remedium contemnens, in ministrum justitiæ & fœ salutis zelatorem manus injecit, ipsumque crudeliter trucidavit. Sic sacerdos Domini acceptabilis hostia, divinis oblata conspectibus.

A. 3

QC.



occumbens pro iustitia, templum supernæ Jerusalem feliciter intravit, cujus sanctitatem Deus, tam celeri vindicta quæ impium parricidam consecuta est, tum beneficiis multis ad memoriam ejus exhibitis, illustravit.

**R.** Impœnitens malitiæ vir sanguinum, Ecclesiæ despecta disciplina,

**\* in ministrum iustitiæ ferox furit, & rabie hunc occidit ferina.**

**¶.** Sic cum palma victoriæ Præsul intravit hodiè palatia divina. In ministrum. **G**loria. In ministrum.

**In tertio Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio VII.** Cap. 16.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

**Homil. 56. in Matthæum.**

**S**i quis vult, sive vir sive mulier, sive Princeps, sive subditus, hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem unum quid significare videtur: tria verò continet, abnegationem sui ipsius, & ut crucem accipias, & tertio, ut Christum sequaris. Quorum duo conjuncta sunt: unum per seipsum separatim ponitur. Si enim intelligis quid sit aliam abnegare, tunc rectè percipies, quid sit abnegare teipsum. Qui alium jam abnegavit, fratrem puta, aut servum, aut quemvis aliam; si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quidquid aliud pati eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus illo modo movetur, ceu ille qui penitus ab illo alienatus est.

**¶.** Imitator Salvatoris, vigilanter populis veram fidem Creatoris prædicans incredulis, **\* Ut præclari sol fulgoris lucem dedit sacralis. ¶.** Glorioso jam laboris fructa gaudet, & honoris insignitur titulis. Ut præclari.

**Lectio VIII.**

**S**ic igitur nullo pacto nos corpori parcere nostro vult, ut neque si cæditur, neque si pellitur, neque si uritur, nec si quid aliud hujusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi, Non parcamus; cum id profecto sit verè parcere? Nam

etiam tunc patres filiis maxime parcunt, cum magistris atque doctoribus tradentes, maxime rogant ne parcant. Sic igitur Christus non dixit tantum, Non parcas, sed significantius ac expressius: Denega teipsum, pericula sibi, certaminibus te offer; & quasi alius hoc patiat, sic afficiare. Nec dixit, Neget; sed, Abneget; ut hac adjunctiancula plurimum addat: cum abnegare multo plus quam negare profecto sit.

**¶.** O vita commendabilis, ô mors desiderabilis, propter quam venerabilis hic Pontifex sit similis, **\* In gloria Sanctorum. ¶.** Commenda nos amabilis Pater, & honorabilis martyr Regi cælorum. In gloria. **G**loria Patri. In gloria.

**Lectio IX.**

**E**t tollat crucem suam. Nam ne quis putet, ad verba usque tantummodo ac contumelias, & opprobria abnegationem hanc sui fieri oportere, id subjunxit, ut videas abnegandos nos esse usque ad mortem, & mortem turpissimam: quam designans, non dixit, Abneget seipsum usque ad mortem, sed, Tollat crucem suam, non semel nec bis, sed continuè per totam vitam, hanc tecum mortem circumferas, & continuè ad necem paratissimus sit. Et sequatur me. Ne credas ipsius passionis naturam per se sufficere, causam ejus subjecit. Quam? Ut quæ dicta sunt universa faciens atque patiens, ipsum sequaris: ut scilicet propter ipsum omnia sustineas, utque omnem virtutis numerum habeas: Is enim Christum sequitur, qui non in periculis modò fortitudinem adhibet, sed modestiam, sed humilitatem, & omne sublimioris Philosophiæ genus complectitur.

**T**e Deum laudamus.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Christi pugil eximius, & Pontifex egregius, in hac die cælestia triumphator ad gaudia introivit feliciter, Deo fruens perenniter.

**in secundis Vesperis ad Magnificat, Antiphona.** Christe virtus pugnantium, corona triumphantium, nos præfens post exilium, Henrici per suffragium perduc ad perpetuum gaudium, quo tecum semper omnium gaudet cætus fidelium.

**DIE**



**DIE XXIV. JANUARI.**

In festo Translation. S. Erici  
Regis & mart. Duplex.

Omnia de Communi unius Mar-  
tyris. præter ea quæ hic sunt pro-  
pria.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Ave Martyr pretiose, miles Chri-  
sti gloriose, ave Regem gloria, ô  
Erice Rex Suecorum, posce nobis  
peccatorum veniam, & gaudia.

**Oratio.**

**P**ræsta quæsumus omnipotens  
Deus: ut qui beati Erici mar-  
tyris tui Translationem colimus,  
intercessione ejus in tui nominis  
amore robaremur. Per Dominum.

In primo Nocturno leguntur  
Lectioes de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Ambrosii Episcopi.  
In Natali SS. Nazarii & Celsi.

**Lectio IV.**

**I**mmensa Dei nostri pietas, mul-  
tiplex ad bonitatem, & artifex  
ad salutem, proponens arduam  
virtutum palmam, raro appetitore  
præciosam, in paucorum triumphis  
plurimorum commodis prospicit.  
Illorum siquidem merita, nostra  
vult esse suffragia; simulque dum  
nobis fidem veram duro martyrii  
agone commendat, afflictionem  
præcedentium, instructionem effi-  
cit posteriorum. Quanta est erga  
nos Dei nostri sollicitudo! Illos  
examinat, ut nos erudiat; illos  
conterit, ut nos acquirat; eorum-  
que cruciatus, nostros vult esse  
profectus.

**B.** Honestum fecit.

**Lectio V.**

**M**erito ergo eos colimus, qui  
periculis suis pugnant, & no-  
stris utilitatibus militant; qui per  
lucis vitæque contemptum, edo-  
cent nos quantum Deo nostro de-  
beamus affectam. Noverimus ita-  
que, quia non sine magno discrimi-  
ne de religionis veritate dubi-  
tamus, quam tantorum sanguine  
confirmatam videmus. Magni pe-  
riculi res est, si post Prophetarum  
oracula, post Apostolorum testi-  
monia, post Martyrum vulnera, ve-  
terem fidem, quasi novellam dis-  
cutere præsumas, & post tam ma-  
nifestos duces in errore perma-  
neas, & post morientium sudores  
otiosa disputatione contendat.

**B.** Desiderium.

**Lectio VI.**

**V**enerentur ergo in sanctorum  
Martyrum gloria fidem no-  
stram. Quomodo fidem nostram?  
Ab istis enim dum mortis toleran-  
tia indubitanter excipitur, spes  
immortalitatis evidenter asseritur.  
Namquam enim hanc vitam tam  
constanter expendere, nisi esse  
alterum incomparabiliter beatio-  
rem perfecta definitione senti-  
rent. In sanctis itaque præconi-  
bus veritatis, resurrectionis au-  
thoritas est. Prompti enim per-  
eunt in melius reparandi, quibus  
per angustias tribulationum aperi-  
tur exitus ad amplitudinem gau-  
diorum.

**B.** Stola jucunditatis.

In tertio Nocturno, Homilia in  
Euangelium. Si quis vult post me  
venire. de Communi unius Mar-  
tyris.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Corona fulgens aurea, flos digni-  
tatis regis, sanctus Ericus ignea  
vicit tela nequitie, sic victor ver-  
nans laurea, Rex & Patronus Sue-  
cicæ, felix de modo lutea transit  
ad Regnum gloriæ.

In secundis Vesperis ad Magni-  
ficat, Antiphona. Miles Regis glo-  
riæ, tutor innocentiam, malleus  
perfidie, Rex Ericæ bravium ap-  
prehendens, in agone ense cæsus  
hostium, nobis placet Martyr bone  
Jesum Dei filium.

**DIE IV. FEBRUARI.**

In festo sancti Ansgarii Episcopi  
& Confessoris. Duplex.

**Ad Vesperas, Antiphona.** Ecce  
sacerdos magnus, cum reliquis de  
Communi Confessoris Pontificis.  
**Hymnus.**

**A**nsuari Pater optime,  
Errantes nos in devio  
Reduc tuo juvamine,  
Servans in Christi gremio.  
**D**anis & Saecis gratiæ  
Domum fidemque prædicas:  
Pugil fortis in acie  
Gentes Deo sanctificas.  
**N**otam facis incredulis  
Doctrinam Evangelicam,  
Lucem ministrans populis  
Ducis in viam cælicam.  
**B**onus pastor viriliter,  
Gregem pascis Dominicum,  
Informans, ut veraciter  
Christum colat magnificentum.  
**B**rudens talenta gratiæ

A 4

Cum



Cum lucri magnitudine  
Adducis Regi gloriæ  
In pacis pulchritudine.

Deo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
Cum Spiritu paraclito,  
In sempiterna sæcula. Amen.

¶ Amavit eum Dominus, & ornavit eum. ¶ Stolam gloriæ induit eum.

**Ac Magnificat, Antiphona.**

Ludovicus Imperator dirigit Ansgarium, ut sit Suecis legislator docens Evangelium, cæli spargit ex thesauro veritatis gratiam, ex doctrinæ profert auro fidei constantiam.

**Oratio.**

**E**Xaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Ansgarii confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis: Per Dominum nostrum Jesum Christum.

In primo Nocturno leguntur Lectiones de Scriptura occurrente.  
In secundo Nocturno.

**LECTIO I.**

**R**eligiosa beati Ansgarii Galli, primi Suecorum & Gothorum Apostoli sanctitas, ab ineunte cæpit statim crescere ætate. Nam vix pueriles annos egressus, superna visitatione per quietem monitus, ut mundi illecebras contemneret, mox in monasterio Corbelensi, sancti Benedicti Regulam professus, totum se in Dei amorem transfudit, assiduè orationi, vigiliis, & abstinentiæ deditus. Cum autem ad Ludovicum Caroli Magni filium Imperatorem primo ejus Imperii anno, Legati à Rege Sueonum Biorne secundo venissent, qui Christianæ fidei Doctores in Sueciam mitti petebant, beatus Ansgarius, instante Imperatore, onus prædicandi Evangelium per Aquilonaria Regna libenti animo suscepit, statimque Regis Legatos comitatus, ad Regem Biornem in Birca civitate tunc maxima agentem, cum Vithmaro & aliis sociis venit.

¶ Inveni David.

**LECTIO II.**

**A**D cujus prædicationem multi Suecorum crediderunt in

Christum, & baptizati sunt. Inter hos Præfectus Regis inclytus Heringarius, qui veluti alter Sebastianus, tantum in suscepta fide floruit, ut in æde sua, quam in Ecclesiam consecrari fecerat, Christo assiduè serviens, eumque prædicans, miraculorum etiam gloria illustraretur. Suecis ad fidem conversis & baptizatis, multisque apud illos Ecclesiis constructis. Ansgarius ad Danos deinde se contulit, cum regnaret in Dania Ericus cognomento Impius: ubi etiam Evangelium prædicans, de impio tyranno pium Christi ministrum effecit. Porro cum videret messem esse multam, nec se huic tanto labori solum sufficere posse, destitit suo loco in Sueciam sanctissimum virum Simonem Episcopum & Nitardum venerabilem Presbyterum; qui Christianam doctrinam induratis hominibus prædicantes, gravissimas persecutiones sustinuerunt, & ad extremum glorioso martyrio vitam suam feliciter consummaverunt. Ipse verò primò Hamburgensem Episcopatum, postea Bremensem Archiepiscopatum administravit; probante id Gregorio Papa quarto Apostolica auctoritate, & Pallii concessione; confirmante verò Nicolao Romano Pontifice, qui ipsum ac successores Legatos & Vicarios Apostolicæ Sedis constituit.

¶ Posui adjutorium.

**LECTIO III.**

**H**ujas Pontificis tanta erat sanctitas, ut eam Reges honorarent, Pastores Ecclesiarum magna veneratione colerent, Clerus admiraretur, & populus imitaretur universus. Miraculorum quoque gratia singularis ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, & confirmationem fidei inter gentes eidem à Deo coilata fuit. Nam orationibus suis, & olei sacri inunctione, plurimos à diversis morbis & languoribus sanabat. Unde certatim ad eum confluebant infirmi medicinam petentes, & sanitatem integram recipientes. Tandem ætate & laboribus fatigatus, anno ætatis suæ sexagesimo quarto, gravi corporis infirmitate per quatuor & amplius menses plus solito laborare cœpit: qua licet sic attritus & consum-



sumptus esset, ut pænè jam de corpore nihil præter nervos & ossa remaneret, nihilominus tamen in Dei laudibus perseverans, invictum ab oratione animum non relaxabat: sicque oculis in cælum intentus cum sedisset annos triginta quatuor, spiritum in manus æterni Patris tradidit, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo quinto. Cujus res præclare gestas Rembertus ejus Diaconus scripsit, & ipse sanctitate conspicuus ejus in sede successor.

**V.** Iste est qui ante.

**In tertio Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio VII.** Cap. 25.

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

**Homilia 9.**

**T**alenti nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsam deputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento: alius terrenam substantiam accepit; erogationem talenti habet ex rebus: alius nec intelligentiam internam, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur; ipsa ars ei in talenti acceptionem reputabitur: alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortasse locum familiaritatis apud divitem meruit; talentam profectò familiaritatis accepit: sic ergò nil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

**R.** Posuit os tuum Dominus, quasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit te. **V.** Et posuit te quasi sagittam electam. **V.** Ansgari, servus meus es tu, quia in te gloriabor.

**Lectio VIII.**

**H**abens igitur intellectum curet omnino ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem qua regitur, magno pere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiat. Habens alloquendi locum apud divitem, damnationem pro

retento talento timeat, si cum varet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exigit, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Domino, quisque securus sit, cum timore penset quotidie quod accepit. Ecce namque jam juxta est, ut ille qui peregrè profectus est, redeat. Quasi peregrè quoque abiit, qui de hac terra, in qua natus est, longè discessit. Sed profecto revertitur, ut de talenti rationes ponat: qui si à bona actione torpescimus, de ipsis bonis quæ contulit, nos districtius judicat.

**R.** Ansgari, dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ: **R.** Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum. **V.** Ego elegi te ut eas, & fructum afferas, & fructus tuis maneat. Reges videbunt. **Gloria Patri.** Reges videbunt.

**Lectio IX.**

**C**onsideremus igitur quæ accepimus, utque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos a spirituali opere cura impediatur: ne si in terra talentum absconditur, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum jam judex culpas examinat, talentum de terra levat. Quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desideris, vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem Judicis, ad æternum supplicium trahuntur. Antè ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut cum jam Judex ad feriendum imminet, lucrum nos quod fecimus, excuset.

**Te Deum laudamus.**

**Ad Benedictus Antiphona.**

Languidorum multitudo suis sanctis precibus surgit sana, fortitudo daturque debilibus, infirmantes apportantur ex diversis partibus, omnes Christum consentur restitutis viribus.

**In secundis Vesperis, ad Magnificat, Antiphona.** In extremo terræ sita Suediorum regio, in errorum sorde trita traditur Ansgario, per doctrinam ut polita fiat habitatio Christo, qui est lux & vita summaque perfectio.



DIE XXV. FEBRUARII.

In festo sancti Sigfridi Episcopi  
& confessoris. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona.

Sacerdos magnus, cum reliquis de  
Communi Confess. Pontificis.

Hymnus.

**S**igfridi almi Præfulis  
Odas solvamus carminis,  
Qui Suecis verbo dogmatis  
Dona fundit Baptismatis.

**U**t jubar sui luminis  
Gemma fundit in tenebris,  
Sic cultu sancti Numinis  
Præful falsit hic celebris.

**H**ic Anglicus natalibus  
Procreatus nobilibus:  
Testatur id profapia  
Anglorum Regum Regia.

**H**ic Anglicus Angelicus,  
Qui missus nobis cælitus,  
Hos jungat suis precibus  
Angelorum apicibus.

**D**eo Patri sit gloria,  
Ejusque soli Filio,  
Cum Spiritu Paraclito,  
Et nunc & in perpetuum, Amen.

**V.** Amavit eum Dominus, & orna-  
vit eum. **R.** Stulam gloriæ induit  
eum.

Ad Magnificat. Antiphona.

In hymnis & confessionibus ma-  
gnificemus Dominum, qui fidei  
gratia sanctum Sigfridum evocavit  
ab Anglia, cujus doctrina aurea,  
Sueonum resplenduit Ecclesia;  
per ipsius merita pia, semper a-  
pud Deum inveniamus auxilia.

Oratio.

**D**eus, qui B. Sigfridum Con-  
fessorem tuum, Evangelicæ  
prædicationis gratia sublimasti:  
præsta quæsumus, ut & doctrina  
ejes erudiamur & precibus adju-  
vemur. Per Dominum nostrum  
Jesum Christum.

In primo Nocturno leguntur Le-  
ctiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Annalibus Sueticis.

Lectio IV.

**M**ortuo B. Ansgario, cum  
Sæcia ad cultum idolorum  
relapsa, in pristinis errorum te-  
nebris per multos annos versa-  
retur. Olaus Skothkpnung di-  
ctus, Sueonum & Gothorum Rex,  
Christianæ religionis studio in-  
census, per Legatos apud An-  
glorum Regem egit, ut viros ali-  
quos pios & Christiana lege eru-

ditos ad se mittendos curaret.

Qui congregato Episcoporum &  
sacerdotum concilio, piam Sueo-  
num Regis postulationem ipsis  
aperuit, hortatusque est, ut ex suo  
ordine aliquos deligerent, qui la-  
bores, pericula, ac mortem etiam  
pro Christi gloria sustinere vel-  
lent. Tunc beatus Sigfridus Epi-  
scopus Anglus, vir genere regio,  
doctrina & auctoritate illustris,  
videns ex triduo colloquio, nul-  
los, vel certè paucos repertos  
fuisse, qui se vellent tanto pericu-  
lo committere, ipse sponte se ad  
eam peregrinationem obtulit.

**B.** Inveni David.

Lectio V.

**I**Taque venerabilis Pontifex Sig-  
fridus, relicta patria, superatis  
longissimis & periculosissimis ma-  
ris itineribus, cum tribus nepoti-  
bus suis, & B. Æschilo consangui-  
neo suo, circa annum Domini mil-  
lesimum pervenit in Gothiam, ubi  
nunc Vexionensis Ecclesia cerni-  
tur. Quo in loco, cum sub papilio-  
nibus sacrificium Domino offer-  
ret, à Præfeto Regio in elevatio-  
ne hostiæ puerum visus est elevas-  
se. De cujus adventu & miraculis,  
quàm primùm Rex ab eodem Præ-  
feto rescivit, obviam processit ad-  
ventanti, atque viro Dei verbum  
salutis prædicante, credidit ipse &  
omnis populus. Dum instituendis  
Ecclesiis occuparetur, audit cum  
magno animi dolore tres nepotes  
suos, quibus Ecclesiam Vexionen-  
sem commiserat, occisos, spo-  
liatos, & abscissis capitibus in  
stagnum projectos esse. De quibus  
interfecto Rex dignum sup-  
plicium sumere voluit, sed be-  
nignissimus Pontifex, ne occide-  
rentur orabat, desursum omnem  
consolationem expectans.

**B.** Posui adjutorium.

Lectio VI.

**N**ec Deus Sancto suo in tanto  
dolore laboranti defuit. Cùm  
enim quadam nocte circa stagnum  
Vexionensi Ecclesiæ contiguam  
orans inambularet, vidit à longè  
tria lumina per aquas ad se defer-  
ri: quorum indicio urnam, in  
qua capita charissimorum nepotum  
projecta erant, in aquis invenit:  
quæ adhuc roseo cruore perfusa  
aspiciens, dixit: Vindicet Deus.  
Cui mox ex capitibus unum re-  
spon-



spondit: Vindicabit. Alterum dixit: Quando? Tertium subjunxit, in filios filiorum. Quod illae interfectorum familiae in hanc usque diem re ipsa experiuntur. Non tamen propterea sanctus Christi Confessor animam à Christi fide propaganda, & ejus sancto Evangelio annuntiando remisit. Tandem post longos labores, & continua sanctissimae vitae studia, plenus dierum ad Deum, cui fideliter servierat, migravit. Sepultus in Ecclesia Vexionensi, quam ipse Angelica visione monitus erigendam curaverat, multisque miraculis clarus, in Sanctorum numerum relatus est.

**℟.** Iste est qui ante Deum.

**In tertio Nocturno.**

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

**Lectio VII.** Cap. 25.

**I**N illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrinè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

**Ex Homil. 96. in Matth.**

**T**alenta hic pro eo quod unusquisque facere potest, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quamquam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat, Cum unum talentum habeam, nil possum efficere: potest profectò ex una re sola probari. Non es pauperior illa vidua, non es Petro atque Joanne rusticior: qui quamvis rudes simul atque illiterati fuerunt, quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, caelorum Principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas.

**℟.** O charitas veneranda, qua ferves Christi athleta, Dum hostibus poscis veniam, Regnique caelestis gloriam. **℣.** Fide plenus & merito, gregem commenda Domino. Dum hostibus.

**Lectio VIII.**

**I**dcirco ratione atque oratione nos Deus decoravit, mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut

his omnibus & nos ipsos & proximos tutemur: non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verum etiam ad docendum & admonendam perutilis est. Quae in re si ea diligenter utemur, Dominum; si vero in contrariis, diabolum imitabimur. Nam & Petrus, quandoquidem Christum confitebatur, quasi ea dicens quae Patris sunt, beatificabatur: quod autem crucem horrebat atque repellerebat, quasi ea quae diaboli sunt, sapiens acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetramus.

**℟.** Immenso Salvatoris amore fervebas, o Sigfride, dum patriam pro ejus affectu reliquisti atque mundi gloriam, ideo audire meruisti: **℣.** Posside Regnum tibi paratum ab origine mundi. **℣.** Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Veni benedicte Patris mei. Posside. **Gloria Patri.** Posside.

**Lectio IX.**

**E**A ergo loquamur quae Christi verba esse confestim cognoscantur. Nec enim cum dixerò, Surge & ambula; neque cum dixerò, Tabitha surge; tunc solum Christi verba loquor: verum etiam multò magis, si contumeliis agitarus benedixerò; si oppressus injuria, pro opprimentibus orabo. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium non habeo. Et rursus: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguae illi lingua tua simillima est. Haec non ego, sed ipse Deus confirmat. Qui separaverit pretiosum à vili, is quasi os meum erit. Cum igitur lingua tua sit Christi, & os tuum Patris fiat, & sancti Spiritus templum sis; qui honor, quod decus majus hoc excogitari poterit? Non si ex auro os tibi conficeretur, non si gemmis construeretur, ita praefalgeret, ut tunc hoc humilitatis ornatum resplenderet.

**℣.** Deum laudamus.

**Ad Laudes. & per Horas. Antiphona.** Ecce sacerdos cum reliquis ut in Communi.



## Hymnus.

**I**gnitus sancto Flamine,  
 Et Dei tactus fame  
 Sigfridus, gentem patriam  
 Postponens, adit Sueciam.  
**I**llic Regem cum populo  
 Potatum fraudis poculo  
 Invenit, & condoluit,  
 Quod hæc gens deos coluit.  
**M**ox unum Deum prædicat:  
 Regi sic fatur & indicat:  
 Salvus erit, qui crediderit,  
 Baptizatusque fuerit.  
**R**igatus verbo fidei  
 Olavus fit cultor Dei,  
 Cor præbens sancto dogmati,  
 Collum subdit Baptismati.  
**S**igfridus dictus signifer,  
 Et Dei verus armiger,  
 Hostem stravit nequitiae,  
 Gentem baptizans Sueciae.  
**D**eo Patri sit gloria,  
 Ejusque soli Filio,  
 Cum Spiritu paraclito,  
 In sempiterna sæcula. Amen.

**V.** Justum deduxit Dominus per  
 vias rectas. **R.** Et ostendit illi Re-  
 gnum Dei.

## Ad Benedictus, Antiphona.

Celebremus, charissimi, devotè  
 recolendo annua beati Sigfridi so-  
 lemnia, cujus sacra hodie anima  
 felix cæli scandit fastigia, cui An-  
 gelicæ accurrens curia, eum gau-  
 dens suscepit cum gloria.

**In secundis Ve'peris, ad Magni-  
 ficat, Antiphona** In signis & virtu-  
 tibus hostem sapplantat Sigfridas,  
 dum tibi fide gentium catervam  
 sociat: nunc quia tecum regnat,  
 Jesu Christe, non ipse per meri-  
 ta, tua salvet gratia.

**DIE XXIII, MARTII;**

**S. Catharinæ Vastenenfis, filie  
 S. Birgittæ. Duplex.**

**Omnia de Communi Virginum,  
 præter ea quæ hic sunt propria**

## Oratio.

**D**eus, qui Ecclesiam tuam bea-  
 tæ Catharinæ virginis præcla-  
 ris decoras meritis, & gloriosis læ-  
 tificas miraculis: concede nobis  
 famulis tuis; ut & exemplis ejus  
 in melius reformemur, & patroci-  
 nio ab omnibus adversis protega-  
 mur. **Per Dominum.**

**In II. Nocturno. Ex Surio. tom. 2.**

## Lectio IV.

**C**atharina Sueca, sanctorum  
 parentum sancta filia, statim  
 ab infantia egregium castitatis

faturæ specimen dedit, cum ad-  
 huc lactens incontinentioris nu-  
 tricis ubera sugere omnino abhor-  
 ruit. Postea, juncta licet conjugio  
 fuerit, in virginitate tamen, viro  
 annuente, permansit. Ambo ita-  
 que, castitate Deo promissa, vigi-  
 liis, orationibus, jejniis, & humi-  
 cabationibus carnem suam morti-  
 ficabant, vestium simplicitate ve-  
 ram & voluntariam humilitatem  
 profitentes; nec ab iis pietatis  
 exercitiis ullis propinquorum &  
 aliorum sermonibus se retrahi pas-  
 si sunt. Immo verò exemplo sanctæ  
 virginis multæ nobiles feminae  
 vestium pompas & superfluum cul-  
 tum deposuerunt. Inter ceteras  
 uxor fratris ejus Caroli, Calma-  
 riæ in Ecclesia à beatissima Virgine  
 pervisionem admonita, ut Catha-  
 rinam simplicitate imitaretur, vi-  
 tam in melius commutavit.

**V. Propter veritatem.**

## Lectio V.

**C**um verò beata Birgitta mater  
 ejus Romam divino jussu pro-  
 fecta fuisset. Catharina quinto post  
 anno, concedente viro, secuta est  
 matrem, annum agens decimum &  
 octavum: ubi quàm primùm, re-  
 lictis omnibus, matri assistere, &  
 pro Christo quæque adversa pati  
 constituit. Tanta illi à Deo collata  
 est eloquentia, ut eam Principes  
 etiam & eruditi viri admirarentur.  
 Et quia à principio sentiebat injici  
 sibi magnum soli natalis deside-  
 rium, contra tentationem hanc,  
 pia matris oratione, disciplinæ re-  
 medio, & voto obedientiæ se mu-  
 nivit. Vixit igitur sub matris cura  
 per viginti quinque annos, non  
 secus ac in monasterio, paupertatem  
 Christi amore ultrò complexa;  
 quam Dominus miraculo aliquo-  
 ties cohonestavit: nam viles pan-  
 nos ejus in oculis divitum, velut  
 purpureos ac pretiosos exhibuit.  
 Pro defensione verò castitatis suæ  
 sanctum Sebastianum martyrem à  
 Deo poposcit; cujus patrocinio  
 deinceps à multis periculis libe-  
 rata est.

**V. Dilexisti.**

## Lectio VI.

**E**rga pauperes & afflictos sum-  
 ma afficiebatur misericordia.  
 Silentium summopere amabat: si  
 quando loquebatur, narratio ejus  
 fuit in præceptis Altissimi. Quo-  
 cum-



In festo S. Erici Regis & martyris.

cumque mater profecta fuisset, venerabilis virgo illi ubique adfuit. Sacra ioca omnia & Dominicum sepulchrum Jerosolymis cum ea invisit. Matre verò mortua, corpus ejus detulit in Sueciam, confluente ad sacras illas reliquias devotè exosculandas undique innumera populi multitudine. Quæ cum in monasterio Vastenensi depositæ multis cœpissent coruscare miraculis, Catharina à Rege & Proceribus iterum Romam mittitur, ut sanctæ matris suæ inter Sanctos relationem procuraret. Eo sancto labore per quinquennium diligentissimè functa, ad monasterium Vastenense revertens, Tiberinæ inundationis repressione, vexatorum à dæmonio liberatione, elisorum & confractorum sanatione, multisque aliis miraculis clara, quievit in pace anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo primo, undecimo Kalendas Aprilis, pridie Annuntiationis Dominicæ.

**B.** Asserentur.

In tertio Nocturno, Homilia sancti Joannis Chryostomi in Evangelium. Accesserunt ad Jesum Pharisei. de Comuni Virginum.

DIE XVIII. MAJI.

In festo S. Erici Regis & martyris.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Sancti tui Domine. cum reliquis de Comuni Martyrum tempore Paschali. Psalmus. Dixit Dominus. cum reliquis de Dominica: & loco ultimi. Psalmus. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Sap. 5.

Stabant justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum.

Hymnus.

Adest dies lætitiæ,  
Fulget Erici gloria:  
Rex & Patronus Sueciæ  
Cæii petit palatia.

Quem vernantem virtutibus  
Sublimat scepro regio  
Plebs læta cum Principibus,  
Concordi desiderio.

Maceratur jejuniis  
Sacrum Sancti corpusculum,  
Velaturque ciliciis  
Hoc Christi tabernaculum.

Ministros Rex magnificus,  
Cultus Dei multiplicat,

Ut Salomon pacificus,  
Et templa reædificat.

Scuto munitus fidei,  
Tela repellens hostium,  
Ad Regnum Dei provehi  
Meretur per martyrium.

Per hujus Sancti merita,  
Jesu Redemptor omnium,  
Dimitte nobis debita,  
Et da perenne gaudium, Amen.  
V. Sancti & justi in Domino gaudente, alleluja. R. Vos elegit Deus in hereditatem sibi, alleluja.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ave Martyr pretiose, miles Christi  
gloriose, ave Regum gloria, ô Ericce Rex Suecorum posce nobis peccatorum veniam, & gaudia. allel.

Oratio.

Deus, qui beato Erico Regi & martyri tuo, victoriæ palmam & cœlestis Regni gloriam contulisti: fac nos, quæsumus, ejus meritis & intercessione, cuncta nobis adversantia vincere, & coronam gloriæ in cælis feliciter obtinere. Per Dominum.

Ad Matutinum, omnia dicuntur de Comuni Martyrum tempore Paschali, exceptis iis quæ hic propria assignantur.

Hymnus.

Hymnum novæ lætitiæ  
Nova deposcunt omnia:  
Martyr Ericus hodie  
Nova potitur gloria.

Hic, ut Elias, impiam,  
Exponens se certamini,  
Expugnat idolatriam,  
Zelans pro lege Domini.

Ecclesiam Catholicam  
Dilatat, gentem Finnonum  
Rex ad fidem Dominicam  
Trahens à cultu dæmonum.

Agnellus innocentiae  
Dum sustinet martyrium,  
Deo placentis hostiæ  
Consummat sacrificium.  
Sancti sacro sanguine  
Sua contingens lumina,  
Diu privata lumine  
Illuminatur femina.

Per hujus Sancti merita,  
Jesu Redemptor omnium,  
Dimitte nobis debita,  
Et da perenne gaudium. Amen.

In primo Nocturno,

Antiphona Rex erat Ericus humilis, devotus, honestus, prudens, munificus, patiens, pius atque modestus, alleluja.

Δ 7

Psalmus



In festo S. Erici Regis & martyris.

**Psalmi de Communi.**

**Lectiones primi Nocturni de Scriptura quæ occurrit tempore Paschali in Officio diei.**

**In secundo Nocturno.**

**Antiphona.** Correxit Sueciæ leges, servire coëgit Christo perfidiæ gentes, quas ense subegit, alleluja.

**Psalmi de Communi.**

**ex Annalibus Suevicis.**

**Lectio IV.**

**C**larissimum Regni Sueciæ lumen Ericus, Jaduardi nobilissimi patris optimus filius, ab ineunte ætate in timore Domini educatus est. Christiana deinde Ingonis Regis filia, Philippi nepte, uxore accepta, factus est cum ea omnibus præclarum virtutis exemplar, ita ut Regno vacante, patriæque in maximis periculis constituta, à Principibus terræ & omni populo, magno consensu in Regem electus fuerit. In throno Regio constitutus, totam suam curam & sollicitudinem contulit, primò ad cultus divini amplificationem, & Ecclesiarum ædificationem, deinde ad populi in pace gubernationem, justitiæque administrationem, tum ad hostium fidei & Regni expurgationem. Ad quæ feliciter perficienda, divina providentia natus erat sanctissimæ vitæ & summæ eruditionis virum, beatum Henricum Episcopum Upsalensem, ad cujus consilia & pias exhortationes pius Rex omnem vitæ suæ cursum Domino ordinabat.

**℟. Lux perpetua.**

**Lectio V.**

**E**Rant tum Finnones non solum Regni, sed etiam fidei Christianæ pertinacissimi hostes; qui continua bella & damna Sueonibus inferebant. Eos Rex sanctus, collecto exercitu, non solum Regno adjunxit, sed etiam cura beati Henrici Episcopi Upsalensis, ad fidem Christi adduxit. Superatis autem hostibus, in Sueciam reversus, velut alter Salomon omne studium ad Ecclesias erigendas & dotandas convertit: ac inter cetera suæ pietatis & magnificentiæ opera, Ecclesiam Upsalensem ab antiquis Regibus fundatam, opere magnifico ac planè Regio consummavit. Justitiæ & pacis inter subditos, ac defensionis pauperum ab oppressione, primam & summam ratio-

nem habuit. In subditos autem suos aded clemens & benignus extitit, ut tertiam partem pœnarum, quæ ad Reipublicæ fiscum ex consuetudine pertinebat, sibi offerentes, pia objurgatione sæpè repulerit, dicens: Mihi mea sufficiant, vobis vestra servate.

**℟. In servis suis.**

**Lectio VI.**

**D**ici non potest, quanta fuerit hujus Regis sanctitas, in orationibus, jejuniis, vigiliis, in castigatione carnis, in ciliciis, in eleemosynis. Apud eum inopes, infirmi, & calamitosi, & quacumque adversitate afflictæ, præsentissimam semper consolationem invenerant. Quæ opera ejus quoniam non erant de mundo, mundus eum odio habere cœpit. Quidam enim Sueciæ Primates, in necem ejus conspirantes, Henricum Scatelerum Sueonis Danici filium, cognatum ejus, contra illum concitaverunt. Qui Ericum apud Upsalensem Metropolim, ipso die Ascensionis Domini, sacrificium Missæ audientem, ex improvviso cum exercitu adortus est. Pius Rex, quamvis à suis moneretur, hostem jam propè adesse, non nisi tamen finito sacrificio illi obviam processit. Cum quo strenue decertans, Regnum terrenum cælesti & sempiterno Regno commutavit, anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, ibidem in Upsalensi Ecclesia sepultus. Per quem Deus multa ad multorum salutem miracula operatur.

**℟. Filiaæ Jerusalem.**

**In tertio Nocturno.**

**Antiphona.** Dignè promeruit Sanctis moriens sociari, qui Domino studuit vivens vere famulari, allel.

**Psalmi de Communi.**

**Lectiones de Homilia S. Augustini Episcopi in Evangelium. Ego sum vitis, vos palmites. ut in Communi Martyrum tempore Paschali.**

**℟. VII.** Pax patriæ, decus Ecclesiæ, vitis inimicus, Rex Sueciæ cælos hodie conscendit Ericus, alleluja. **℟.** Pro fidei fervore Dei dilectus amicus. Rex Sueciæ.

**℟. VIII.** O miles Christi, qui martyrio meruisti Sanctis conjungi, jun-



junctus diademate fungi victor re-  
gali, Fidei merito speciali, alle-  
luja. *V.* Perduc qui Christum  
laudant, ad gaudia vitæ. Fidei.  
*G*loria Patri. Fidei.

AD LAUDES.

*Hymnus.*

**L**audes ad laudes jungite,  
Nec desit laus in laudibus,  
Pro novo Christi milite  
Cæli conjuncto civibus.

**O**bsidetur ab hostibus,  
Ascensionis tempore  
Sanctus Ericus, laudibus  
Dei vacans summopere.

**C**racem sibi Dominicam  
Rex imprimens salubriter,  
Vadit contra maleficam  
Catervam magnanimiter.

**N**ovus David viriliter  
Agens, dum mundo moritur,  
Sanctam Sion feliciter  
Regnaturus ingreditur.

**V**ictor regnans in æthere,  
Magnis fulgens miraculis,  
Miro virtutum genere  
Multis succurrit populis.

**P**er hujus Sancti merita;  
Jesu Redemptor omnium,  
Dimitte nobis debira.  
Et da perenne gaudium. Amen.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Corona fulgens aurea, flos dignita-  
tis Regiæ, sanctus Ericus ignea vi-  
cit tela nequitiae, sic victor ver-  
nans laurea, Rex & patronus Sæ-  
ciæ, Felix de domo latea transit  
ad Regnum gloriæ, alleluja.

*In secundis Vesperis, ad Magni-  
ficat, Antiphona.* Miles regis glo-  
riæ, tutor innocentium, malleus  
perfidiae, Rex Ericæ, bravium ap-  
prehendens in agone, ense cæsus  
hostium, nobis placet Martyr bone  
Jesum Dei Filium, alleluja.

DIE XII. JUNII.

In festo S. Æschili Episcopi &  
martyris. Duplex.

*Ad Vesperas. Antiphona.* Qui  
me confessus fuerit, cum reliquis  
de Communi unius Martyris, præ-  
sertea quæ hic assignantur.

*Hymnus.*

**I**am dies adest celebris;  
Nova resultant cantica:  
Quo fugatis tenebris,  
Regnat fides Catholica.  
**G**aude parens Britannia  
De tantæ prolis munere:  
Exulta magis Suecia  
De novo lucis sidere.

Æschilus signis emicat,  
Ritus confutans gentium,  
Christum auctorem prædicat  
Et Salvatorem omnium.

**V**erbis, exemplis claruit,  
Saluti studens omnium:  
Tandem mortem sustinuit,  
Migrans felix ad gaudium.

**T**ibi sit laus & gloria,  
Corona triumphantium:  
Nos Æschili prece pia  
Duc ad cæli palatium. Amen.

*Ad Magnificat, Antiphona.*

Æschile flos Præfulum, præses piæ-  
tatis, Clericorum speculum, do-  
ctor veritatis, tuæ replet sæculum  
fama sanctitatis: junge tuum po-  
pulum civibus beatis.

*Oratio.*

**D**eus, qui beatum Æschilum  
Pontificem tuum, pro fidei  
dilatatione, martyrium subire volui-  
sti: præsta, quæsumus, ut omnes  
qui ejus implorant auxilium, peti-  
tionis suæ salutarem consequantur  
effectum. Per Dominum.

AD MATUTINUM.

*Hymnus.*

**Æ**schili pro victoria  
Gaude mater Ecclesia,  
Christi sustalta gratia  
Devota fac tripudia.

**P**ius, devotus, humilis,  
Vivendi formam præbuit;  
In lege Dei oculis,  
Verbis, exemplis claruit.

**I**n fide luxit omnibus,  
Per signa, per prodigia:  
Mundum calcans sub pedibus  
Manum misit ad fortia.

**M**ors corporis contemnitur,  
Dum Christi mors attenditur:  
Vincit ergo dum vincitur:  
Magis vincit cum moritur.

**T**ibi sit laus & gloria,  
Conona triumphantium:  
Nos Æschili prece pia  
Duc ad cæli palatium. Amen.

*In primo Nocturno leguntur Le-  
ctiones de Scriptura occurrente.*

*In secundo Nocturno.*

*Ex Annalibus Sueticii*

*Lectio 17.*

**Æ**schilus Anglus, B. Sigfri-  
di consanguineus, à puero  
illecebris hujus vitæ contemptis,  
totum se in amorem Dei dedit,  
ita ut sanctum Abraham imita-  
tus, exierit de terra sua, & de  
cognitione sua ac in Sueciam, post  
prædicatum in ea à beato Ansga-  
rio.



rio Euangelium ad idola colenda relapsum, beatum Sigfridum secutus fuerit. Qui cum Christianam fidem apud Gothos & Sueones indefesso animo predicaret, bonusque Christi odor omnibus esset: apud Regem Sueciae Ingonem, omnesque bonos summam venerationem sibi conciliavit, nec multo post, omnium consensu, in Episcopum Ecclesiae, quae vocatur Nordhanscog, electus, a beato Sigfrido consecratus fuit.

*R.* Honestum fecit.

*Lectio v.*

**P**ositus tanquam lucerna super candelabrum in domo Domini, magis ac magis omnibus qui ingrediuntur, lumen praebere curabat. Multi ad ejus praedicationem sana & delubra subvertere, lucos succidere, & nova Deo altaria erigere coeperunt, favente & adjuvante Rege Ingone. Sed iis Christianae fidei incrementis invidens satan, quorundam perversorum animos contra Pontificem, ac Regem etiam ipsum, concitavit. Quocirca nefarii homines Ingone Rege Christiano interfecto, Sueonem, cognomento Sanguinarium, hominem a Christiana religione alienum, elegerunt: volentes totam religionis stirpem a radice penitus evellere. Quorum impiis conatibus sanctus Pontifex magno animo obstitit.

*R.* Desiderium.

*Lectio vi.*

**P**orrò cum cerneret se dictis nil proficere, fide invocavit Dominum, ut faceret suae ostensionis evidentiam. Et intonuit de caelo Dominus, grandineque, nive, pluvia, aras immolantium subvertit, Episcopum verò sanctum ne una quidem pluviae gutta attigit. Quo viso filii Belial furore repleti, impetum unanimiter in Sanctam fecerunt. Unus caput ejus lapide percussit: alter securi confregit: cadentem in terram sanguine perfusum alii rapuerunt, & ad Regem traxerunt, dicentes, magicis artibus ad injuriam deorum & Regis ipsum aëra concitasse. Sententia igitur contra eum lata à Rege, ipso die passionis Domini, ut quondam Stephanus, lapidibus obrutus, ex hac vita in aeternam transit. Cujus corpus a fidelibus honorificen-

tissime sepultum in Ecclesia ad memoriam ejus aedificata, multis coruscant miraculis.

*R.* Stola jucunditatis.

*In tertio Nocturno.*

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

*Lectio vii. Cap. 10.*

**I**n illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae.

*Homilia 17.*

**A**D messem multam operarii pauci sunt: quod sine gravi mœrore loqui non possumus. Quia etsi sunt qui bona audiunt, desunt tamen qui dicant. Ecce mundus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator, quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Fractus quippe sanctae Ecclesiae in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro aeterna Ecclesia minimè in praedicatione laboramus.

*R.* Gaude felix Suecia, lauda Salvatorem, quia de Britannia tibi dat Pastorem, \* Qui vas plenum gratia Christi dat odorem. *V.* Erranti tibi sit divinum dux in amorem. Qui vas.

*Lectio vii.*

**P**ensemus ergo cujus damnationis sit, sine labore hic percipere mercedem laboris. pensemus cujus sit apud Deum criminis, peccatorum pretium manducare, & nihil contra peccata praedicando agere. Pensemus ergo: qui umquam per linguam nostram conversi? qui de perverso suo opere, nostra increpatione correpti, poenitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus quod lacrum Deo facimus nos, qui accepto talento, ab eo ad negotium missi sumus. Etenim dicit: Negotiamini dum venio.

*R.* Transit ab exilio mundi rubricatus, in caeli rosario dignè transplantatus, *B*ino pollens premio gaudet laureatus. *V.* Qui gregis sui ante Deum excuset reatus. Bino pollens. *Gloria Patri.* Bino pollens.

*Lectio*



**Lesio IX.**

**E**Cce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum lucrum de nostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de prædicationis nostræ segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantæ districtiōnis diem, quo iudex venerit, & rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in majestate terribili, inter Angelorum atque Archangelorum choros videbitur. In illo tanto examine electorum omnium & reproborum multitudo deducetur, & unusquisque quid sit operatus ostendetur.

**T**e Deum laudamus.

**A D L A U D E S.**

**Hymnus.**

**S**ummi præcepta Domini  
Contempserunt malevoli,  
Et necem suo Præsuli  
Paraverunt increduli.

**P**ercussas est lapidibus  
Æschilus, sicut Stephanus.  
Et sic pro occisoribus  
Deum orat humillimus.

**I**ndulge, ait, miseris,  
Pater, dimitte vitia,  
Christe emunda crimina,  
Collata indulgentia.

**D**ei Martyr egregie  
Pro nobis Deum postula,  
Ut hunc queamus colere  
In sempiterna sæcula. Amen.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

O Præsul mitissime, Patriæ lucerna,  
lux errantis animæ, devios  
guberna, ductor gregis optime,  
nos duc ad superna, ubi pascet  
intimè gregem lux æterna.

**In secundis Vesperis, ad Magnificat, Antiphona.** Vale pater patriæ,  
fide zelator, turpis idololatriæ  
felix triumphator, nobilis Ecclesiæ  
Doctor & fundator tuæ sis  
familie jugis consolator.

**I N M E N S E J U L I O,**

**Celebratur Festum SS. Patronorum Regni Sueciæ, Dominica proxima post Octavam sanctorum Petri & Pauli Apostolorum.**

**A D V E S P E R A S.**

**Antiphona.** Sancti per fidem.  
cum reliquis de Laudibus. Psalmus.  
Dixit Dominus. cum reliquis de  
Dominica: & loco ultimi, Psalmus.  
Laudate Dominum omnes gentes.

**Capitulum.** Eccli. 44.

**L**audemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo.

**Hymnus.**

**P**lacare, Christe, servulis,  
Quibus Patris clementiam  
Quæ ad Tribunal gratiæ,  
Patrona Virgo postulat.

**E**t vos beata, per novem  
Distincta gyros Agmina;  
Antiqua cum præsentibus,  
Futura damna pellite.

**A**postoli cum Viribus  
Apud severum Judicem,  
Veris reorum fletibus  
Exposcite Indulgentiam.

**V**os purpurati Martyres,  
Vos candidati præmio  
Confessionis, exules  
Vocate nos in Patriam.

**C**horæa casta Virginum,  
Et quos Eremus incolas,  
Transmisit astris; Calitum  
Locate nos in sedibus.

**A**uferte gentem perfidam.  
Credientium de finibus;  
Ut unus omnes unicum  
Ovile nos Pastor regat.

**D**eo Patri sit gloria,  
Natoque Patris unico,  
Sancto simul Paraclito,  
In sempiterna sæcula. Amen.

**†.** Latamini in Domino, & exultate justi. **‡.** Et gloriamini omnes recti corde.

**Ad Magnificat, in utrisque Vesperis, Antiphona.** Recordare Domine gloriosæ matris tuæ Mariæ, & dilectorum servorum tuorum Joannis Baptistæ, Laurentii, Ansgarii, Sigfridi, Æschili, Davidis, Henrici, Erici, Botvidi, Helenæ, Birgittæ, Catharinæ, & aliorum sanctorum Patronorum nostrorum; & ne auferas misericordiam tuam à nobis.

**Oratio.**

**I**nfirmi-  
tatem nostram, quæsumus Domine, propitius respice: & mala omnia, quæ pro peccatis nostris justè meremur, Sanctorum tuorum hujus Regni Patronorum intercessione clementer averte. Per Dominum.

**D**ein sit commem. Dominicæ, Ad Martinum, invitatorium. Christum Regem per sanctos Patronos nobis prædicatum, **†** Venite.



nite adoremus. **Psalmus.** Venite nus tecum. Intercede pro nobis ad exultemus. **Hymnus.** Placare, Dominum Deum nostrum. Christe, servulis. ut supra.

In primo Nocturno,

**Antiphona.** Novit Dominus viam iustorum, qui in lege eius meditantur die ac nocte. **Psalmus.** Beatus vir. **Antiphona.** Mirificavit Dominus Sanctos suos, & exaudivit eos clamantes ad se. **Psalmus.** Cum invocarem. **Antiphona.** Admirabile est nomen tuum, Domine; quia gloria & honore coronasti Sanctos tuos, & constituisti eos super opera manuum tuarum. **Psalmus.** Domine Dominus noster.

¶. Latamini in Domino, & exultate iusti. ¶. Et gloriamini omnes recti corde.

De libro Ecclesiastici.

**Leitio I.** Cap. 44.

**L** Audemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis, homines magni virtute, & prudentia sua præditi, nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum, & imperantes in præfenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina scripturarum.

¶. Dies sanctificatus illuxit nobis, venite gentes & adorete Dominum, ¶. Quia descendit hodie lux magna in terris. ¶. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Quia descendit.

**Leitio II.**

**H** Omnes divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum: & sunt, quorum non est memoria: perierunt quasi non fuerint, & nati sunt, quasi non nati, & filii ipsorum cum ipsis.

¶. Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino: perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: ¶. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. ¶. Ave Maria, gratia plena, Domi-

**Leitio III.**  
**S**ed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt: cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filii eorum propter illos usque in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorum nantiet Ecclesia.

¶. In conspectu Angelorum psallam tibi: ¶. Et adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine. ¶. Super misericordia tua & veritate tua, quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. Et adorabo. Gloria patri. Et adorabo.

In secundo Nocturno,

**Antiphona.** Domine, qui operati sunt iustitiam, habitabunt in tabernaculo tuo, & requiescent in monte sancto tuo. **Psalmus.** Domine, quis habitabit. **Antiphona.** Hæc est generatio quærentiam Dominum, quærentiam faciem Dei Jacob. **Psalmus.** Domini est terra. **Antiphona.** Latamini in Domino, & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde. **Psalmus.** Beati quorum. ¶. Exultent iusti in conspectu Dei. ¶. Et delectentur in lætitia.

**Leitio IV.**

**A**dest nobis, dilectissimi, Regni Sueciæ Patronorum præclara festivitas, divinorum operum plena miraculis, & spiritualibus gaudiorum referta mysteriis. In qua, missis ad nos cælestis Paterfamilias nuntiis, ad præparatas æterni convivii delicias invitantibus, divinæ miserationis intuitu non respicere dignatus est. Anno enim Domini octingentesimo vigesimo sexto Ludovicus Caroli Magni filius, Imperator Christianissimus cum jam per patrem Saxonia lumen fidei recepisset, sollicitè studuit Suecorum & Danorum gentem, cum aliis maritimis regionibus, adungere fidei Christianæ. Quod tantæ pietatis officium venerabilis Pater Ansgarius cum suo col-



collega Vittimaro, magno animo suscepit. Benignè autem susceptus à Rege Sueonum Berone in civitate Birca, cœpit cum fiducia prædicare verbum Dei, multique credentes in Christum baptizati sunt: inter quos Præfectus loci Engarius, seu Ericus, fundata in hereditate sua Ecclesia, multos ad fidem convertibat. His in Suecia per gratiam Dei patratis, Ansgarius in Hamburgensem Ecclesiam se contulit, relinquens in loco suo apud Bircam Simonem Pontificem, & Nitardum Presbyterum: qui Christianam doctrinam prædicantes, glorioso martyrio vitam consummarunt.

**R.** Præcursor Domini venit, de quo ipse testatur: \* Nullus major inter natos mulierum Joanne Baptista. **V.** Hic est Propheta, & plusquam Propheta, de quo Salvator ait, Nullus major.

## Lectio v.

**M**ortuo beato Ansgario, populus ad idola sua iterum reverti cœpit, factaque sunt novissima Sueciæ pejora prioribus. Quod cernens caelestis ille agricola, post centum ferè & quadraginta annos excitavit cor sancti Sigfridi Episcopi Angli, eique viros religiosos & sanctos tres nepotes, & beatum Æschilum consanguineum ejus, adjunxit socios. Quibus prædicantibus Rex Olavus Skothkonung dictus in Christum credidit, & multas Ecclesias in Regno Sueciæ erexit. Postquam verò isti per palmam martyrii ad gloriam transissent æternam, beatus David vir religiosus, mortem pro Christo non reformidans, in Sueciam ab Anglia venit, ut novos in fide confirmaret, & aliquid gratiæ spiritualis illis impertiret. Procedente deinde tempore, cum adhuc pars aliqua restaret eorum qui non credebant, beatus Henricus à Britannia cælitus destinatur. Upsalensis primùm Antistes, postea Finlandensis Ecclesiæ Apostolicus fundator & institutor: in qua excolenda ad mortem usque fideliter laboravit.

**R.** Isti sunt, qui viventes in carne plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: \* Calicem Domini biberunt, & amici Dei facti sunt. **V.** In

omnem terram exivit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum. Calicem.

## Lectio vi.

**P**lantata verò in Regno Sueciæ fide Catholica, & juxta Apostolicam traditionem, magisterio prædictorum venerabilium Patrum Ecclesiis institutis, flores apparuerunt in terra nostra, non jam aliunde adducti, sed nati, & in sanguinis germine procreari, qui virtutum exemplis Sueticam mirum in modum illustrarunt Ecclesiam. Hi sunt, Deo dilectus Rex sanctus Ericus, & vir venerandus, beatus Botvidus, qui triumphali coronati martyrio, beatas calorum mansiones possederunt. Hos sequuntur insignes viduæ, vita & moribus prædicandæ, beata videlicet Helena Westrogotha; quæ & ipsa meruit martyrio coronari; beata quoque Birgitta femina mirifica, multarum nationum testimonio prædicata, cum qua locutus est Deus, & ostendit illi secreta sua. Jungitur his in gloria felix & beata Catharina, ejusdem sanctæ Birgittæ filia, quam ab infantia omnipotens Deus prodigiis & miraculis multis decoraverat, & usque in hunc diem non desinit decorare.

**R.** Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis, \* Mercedem laboris ego reddam vobis. **V.** Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Mercedem. **G**loria. Mercedem.

## In tertio Nocturno,

**Antiphona.** Timete Dominum omnes Sancti ejus, quoniam nihil deest timentibus eum: ecce oculi Domini super justos, & aures ejus ad preces eorum. **Psalmus.** Benedicam Dominum in omni tempore.

**Antiphona.** Domine spes Sanctorum, & turris fortitudinis eorum, dedisti hereditatem timentibus nomen tuum, & habitabunt in tabernaculo tuo in sæcula.

**Psalmus.** Exaudi Deus deprecationem. **Antiphona.** Qui diligitis Dominum, latamini in Domino,

& confitemini memoriæ sanctitatis ejus. **Psalmus.** Dominus regnavit. Exultet.

**V.** Justi autem in perpetuum vivent. **R.** Et apud Dominum est in merces eorum.

Lectio



Lectio sancti Evangelii secundum  
Matthæum.

**Lectio VII.** Cap. 5.

**I**n illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem: & cum sedisset accesserunt ad eum discipuli eius. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi  
Abbatis.

**F**estivitatem hodiernam sanctorum Patronorum cum omni devotione dignum est celebrari. Nimirum si magna videtur & est beati Petri solemnitas, seu beati Stephani, aut cujuslibet ceterorum; quanta ista est, quæ non unius tantum est, sed universorum? Verum non ignoratis, fratres, sæcularibus id moris esse, ut diebus festis festiva sibi convivia parent: & quanto fuerit solemnitas clarior, tanto splendidius epulentur. Quid ergo? Nonne & his qui convertuntur ad cor, cordis deliciae sunt quærendæ, & spiritualibus spiritualia comparanda? Propterea jam paratum est convivium nostrum, fratres: jam cocta sunt omnia, & epulandi tempus advenit.

**R.** Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: **V.** Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur à nuptiis. **V.** Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos similes.

**Lectio VIII.**

**D**ignum est enim ut prius anima satiatur, quod hæc portio sine dubitatione & sine comparatione sit potior; præsertim cum Sanctorum solemnitates manifestum sit ad animas magis quam ad corpora pertinere, & quæ animarum sunt, animæ plus acceptent: quippe naturali quadam eis cognatione conjunctæ. Quibus propterea quoque Sancti isti compatiuntur amplius, propterea magis desiderant animarum bona, & plus earum refectionibus delectantur: quoniam & ipsi nobis similes inere passibiles: & ipsi peregrinationis hujus, & exilii miserabilis deplorare molestias: & ipsi grave hujus corporis onus, & tumultus sæculi, & tentationes experti sunt inimici. Nihil itaque dubium, quin gravior eis sit & multo acceptabi-

lior illa festivitas, quæ intenditur epulis animarum, quam sit ea quæ celebratur à secularibus, curam carnis perficientibus in desideriis voluptatum.

**R.** Media nocte clamor factus est: **V.** Ecce sponsus venit, exite obviam ei. **V.** Prudentes virgines, aptate vestras lampades. Ecce sponsus. **Gloria Patri.** Ecce sponsus.

**Lectio IX. de Homilia Evangelii  
Dominicæ currentis:**

**AD LAUDES,**

**& per Horas, Antiphona.**

**S**ancti per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. **Psalmus.** Dominus regnavit, cum reliquis. **Antiphona.** Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, & dedit eis gloriam sempiternam: quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. **Antiphona.** Cum palma ad regna pervenerunt Sancti; coronas decoris meruerunt de manu Dei. **Antiphona.** Fulgebant justi & tanquam scintillæ in arundine toto discurrunt, judicabunt nationes, & dominabuntur populis. **Antiphona.** In cælestibus regnis Sanctorum habitatio est, & in æternum requies eorum. **Capitulum.** Laudemus viros gloriosos. **ut supra. 17.**

**Hymnus.**

**S**alutis æternæ Dator  
Jesu redemptis subveni:  
Virgo Parens clementiæ  
Dona salutem servulis.  
**V**os Angelorum millia,  
Patrumque cætus, Agrina  
Cætra Vatum: Vos reis  
Precamini indulgentiam.  
**B**aptista Christi prævius,  
Summique Cæli Claviger,  
Cum ceteris Apostolis  
Nexus resolvant criminum.  
**C**ohors triumphans Martyrum,  
Almus Sacerdotum Chorus,  
Et Virginalis Castitas  
Nostros reatus abluant.  
**Q**uicumque in alta siderum  
Regnatis Aula Principes,  
Favete votis supplicum,  
Qui dona Cæli flagitant  
**V**irtus, honor, laus, gloria  
Deo Patri cum Filio,  
Sancto simul Paraclito,  
In sæculorum sæcula, Amen.

**V.** Exul-



**V.** Exultabunt Sancti in gloria.

**B.** Latrabuntur in cubilibus suis.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Gaudent in caelis animae Sancto-  
rum, qui Christi vestigia sunt se-  
cuti: & quia pro ejus amore san-  
guinem suum fuderunt, ided cum  
Christo exultant sine fine.

**Deinde commemoratio Domini-  
cae currentis.**

**Ad Tertiam, Capitulum. L** au-  
demus. ut supra. 17.

**B. breve.** Latramini in Domino,  
Et exultate justi. Latramini.

**V.** Et gloriamini omnes recti cor-  
de. Et exultate. **G**loria. Latrami-  
ni. **V.** Exultent justi in conspectu

Dei. **B.** Et delectentur in laetitia.

**Ad Sextam, Capitulum.** Eccli. 44.

**F**ilii eorum propter illos in æ-  
ternum manent: semen eorum,  
& gloria eorum non derelinque-  
tur.

**B. breve.** Exultent justi, In con-  
spectu Dei. Exultent. **V.** Et dele-  
ctentur in laetitia. In conspectu.

**G**loria Patri. Exultent. **V.** Justi  
autem in perpetuum vivent. **B.** Et  
apud Dominum est merces eorum.

**Ad Nonam, Capitulum.** Eccli. 44.

**C**orpora sanctorum in pace se-  
pulta sunt, & nomen eorum  
vivit in generationem & genera-  
tionem. Sapientiam ipsorum nar-  
rent populi, & laudem eorum nun-  
tiet Ecclesia.

**B. breve.** Justi autem, In perpe-  
tuum vivent. Justi. **V.** Et apud  
Dominum est merces eorum. In  
perpetuum. **G**loria Patri. Justi.

**V.** Exultabunt Sancti in gloria.

**B.** Latrabuntur in cubilibus suis.

**In II. Vesperis, Antiphona.** San-  
cti per fidem. cum reliquis de Lau-  
dibus. Psalmus. Dixit Dominus

Domino meo. cum reliquis de Do-  
minica & loco ultimi, Psalmus. **C**re-

didi propter quod. **Capitulum &  
Hymnus ut in primis Vesperis.**

**B.** Exultabunt Sancti in gloria.

**V.** Latrabuntur in cubilibus suis.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Recordare Domine gloriosae matris.  
ut in primis Vesperis. 17.

**Commemoratio Dominicae.**

**DIE XV. IULII.**

**In festo S. Davidis Abbatis.**

**Oratio.**

**I**ntercessio nos, quæsumus Do-  
mine, beati Davidis Abbatis  
commendet: ut quod nostris me-

ritis non valemus, ejus patrocinio  
assequamur. Per Dominum.

**Lectio III.**

**D**avid in Anglia nobilibus &  
Christianis parentibus natus  
à puero in scientia, & vitæ probi-  
tate, & Christiana charitate profi-  
ciebat, aded ut universis quæ ha-  
bait in pauperes erogatis, Ordi-  
nem Cluniacensem ingressus, in  
arctissima disciplina & abstinencia  
vitam duxerit. Hic audita morte  
sanctorum martyrom S. Sigfridi  
nepotum, cupiens & ipse martyrii  
pro Christo particeps fieri, in Sue-  
ciam advenit: atque ex consilio  
sancti Sigfridi apud Ecclesiam Sue-  
vingensem, in Westmania sedem  
fixit. Ubi verbum Dei prædicans,  
multas injurias & persecutiones  
passus est. Cùm jam præ senio  
oculi ejus ex frequentibus lacry-  
mis in oratione fufis caligarent;  
radium solis per fenestram intran-  
tem, paxillum esse existimans, in  
eo appendit chirothecas; quas  
servus ut afferret missus, in radio  
solis invenit pendentes. Ad ex-  
tremum vir sanctus plenus die-  
rum, & bonis operibus, ex hac  
vita ad vitam transivit æternam.

**T**e Deum laudamus.

**DIE XXVIII. JULII.**

**In festo S. Botvidi martyris.**

**Duplex.**

**Omnia de Communi unius Mar-  
tyris, præter ea quæ hic sunt pro-  
pria.**

**Hymnus.**

**G**AUDE cælestis civitas,  
Grata depromens cantica:  
Botvidi clara sanctitas  
Laude lucet magnifica.

**L**ætetur Sudermania  
Tale producens lilium:  
Congratuletur Anglia  
Tantum baptizans filium.

**V**erba David, ne effluant,  
Cordi curavit tradere:  
Divitiæ si affluant,  
Nolite cor apponere.

**J**ob sancti memor operum,  
Sectatur innocentiam,  
Tobiae patris pauperum  
Secutus est clementiam.

**P**ost impios non abit:  
Nec appetit terrestria:  
Sed onus leve subit,  
Regna petens cælestia.

**O** fortitudo Martyrum  
Christe, Botvidi precibus,

**Opta-**



Optatum nobis bravium  
Concedas in cælestibus. Amen.

**Ad Magnificat, Antiphona:**

Botvide tyro nobilis, victor scan-  
dens de prælio, in morte rosæ  
similis, vita candenti lilio, nos  
hujus vitæ labilis latentes in exi-  
lio, conjunge martyr sublimis  
Sanctorum domicilio.

**Oratio.**

**C**ordibus nostris, quæsumus  
Domine, veræ fidei splendor  
illuceat: & beati Botvidi Marty-  
ris tui salutaris intercessio ab in-  
stantibus periculis nos defendat.  
Per Dominum nostrum.

**In primo Nocturno leguntur Le-  
ctiones de Scriptura occurrente.**

**In secundo Nocturno.**

**Lectio IV.**

**B**otvidus in Regno Sueciæ ho-  
nestis, sed infidelibus paren-  
tibus natus, juvenis in Angliam  
negotiationis causa profectus fue-  
rat: ubi à quodam sacerdote,  
singularis doctrinæ & sanctitatis  
viro, hospitio receptus, non so-  
lum mysteria fidei Christianæ di-  
dicit, verum etiam gratia Bap-  
tismi accepta, in disciplina vitæ  
& perfectionis Christianæ egre-  
giè instructus est. Reversus in  
patriam gaudens, ut quondam fe-  
lix ille Eunuchus à Philippo Dia-  
cono baptizatus, multos incredu-  
los ad fidem Domini exemplis &  
salutaribus exhortationibus addu-  
cebat, Domino cooperante, &  
sermone confirmante multiplici-  
bus signis.

**✠. Honestum fecit.**

**Lectio V.**

**C**um enim die quadam Sanctus  
cum familiaribus suis & vici-  
nis ad capturam piscium progres-  
sus fuisset, & à possessore loci il-  
lius Bovino retia laxare prohibe-  
retur, nisi quartam partem piscium  
sibi promitteret: beatus vir liti  
cedens, ad propriam insulam per-  
rexit: atque ipse in genua pro-  
cumbens ad orationem, famulis ut  
retia mitterent, imperavit. Quo  
insistente orationi, tanta piscium  
multitudo extracta est, ut duas  
naves implerent. Quod audientes  
illi qui circa possessionem Bovini  
tota nocte frustra laborarant, ad  
virum sanctum properant; à quo  
licentia impetrata, naves suas im-  
plent piscibus: tantoque miraculo

permoti, ad prædicationem Bot-  
vidi crediderunt & baptizati sunt.  
**✠. Desiderium.**

**Lectio VI.**

**C**ontigit autem ut Sclavum  
quendam, quem à captivita-  
te redemptum ad gratiam Baptismi  
adduxerat, & libertate donaverat,  
per Gothiam in patriam suam re-  
vertentem, securitatis causa magna  
charitate deduceret. Quo itinere  
defatigatus, post orationes ad  
Deum factas, sub quadam arbore  
obdormiens, ab eodem ingrato  
homine securi crudeliter trucidat-  
us, coronam justitiæ à Domino  
justo judice consecutus est. Cujus  
corpus à propinquis ductu avis  
candidæ à Deo, qui in Sanctis suis  
semper est mirabilis, cum magna  
fidelium consolatione repertum,  
& in patriam delatum est.

**✠. Stola jucunditatis.**

**In tertio Nocturno.**

**Lectio sancti Evangelii secundum  
Joannem.**

**Lectio VII. Cap. 15.**

**I**n illo tempore: Dixit Jesus  
discipulis suis, Amen, amen  
dico vobis, nisi granum frumenti  
cadens in terram mortuum fuerit,  
ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

**M**inistrant Jesu Christo, qui  
non sua quærunt, sed quæ  
Jesu Christi: hoc est enim, Me  
sequatur, Vias ambulet meas, non  
suas, sicut alibi scriptum est: Qui  
se dicit in Christo manere, debet,  
sicut ambulavit ille, & ipse ambu-  
lare. Debet etiam si porrigit estu-  
rienti panem, de misericordia fa-  
cere, non de jactantia: non aliud  
ibi quærere quàm opus bonum,  
nesciente sinistra quid faciat dex-  
tra: id est, ut alienetur intentio  
cupiditatis ab opere charitatis,  
Qui sic ministrat, Christo mini-  
strat, recteque illi dicitur, Cum  
uni ex minimis meis fecistis, mihi  
fecistis: nec tantum ea quæ ad mi-  
sericordiam pertinent corporalem,  
sed omnia bona opera propter  
Christum facta: tunc enim erunt  
bona, quoniam finis legis Christus  
ad justitiam omni credenti.

**✠. De Sodoma Lot exiens in mon-  
te servat animam, David salvatur  
fagiens, Joseph evadit dominam:  
✠. Justus carrit pertransiens, ad  
Urbem munitissimam. ✠. Paupe-  
ribus**



ribus compatiens, in cælo parat sapiens mansionem tutissimam. Justus.

## Lectio viii.

**M**inister est Christi usque ad illud opus magnæ charitatis, quod est, animam suam pro fratribus ponere: hoc est enim pro Christo ponere: quia & hoc propter sua membra dicturus est: cum pro istis fecistis, pro me fecistis. De tali quippe opere etiam se ministrum facere & appellare dignatus est, ubi ait: Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & animam suam ponere pro multis. Hinc est ergo unusquisque minister Christi, unde est minister & Christus. Sic ministrantem Christo honorificabit Pater ejus honore illo magno, ut sit cum filio ejus, nec umquam deficiat felicitas ejus.

**¶** O nardus odorifera agrifera corporibus, apis fructu mellifera, corda mulcens doloribus; **¶** Precatus offer munera Christo pro peccatoribus. **¶** O uva fructifera translata super æthera, numquam marcescens floribus. Precatus. **Gloria. Precatus.**

## Lectio ix.

**C**um ergo auditis, fratres, Dominum dicentem, Ubi ergo sum, ibi & minister meus erit; nolite tantummodo bonos Episcopos & Clericos cogitare: etiam vos pro modulo vestro ministrare Christo, bene vivendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinamque ejus quibus potueritis prædicando: ut unusquisque etiam paterfamilias hoc nomine agnoscat, paternum affectum suæ familiæ se debere pro Christo, & pro vita æterna: suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exercent disciplinam: ita in domo sua Ecclesiasticum & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. Nam & illam maximam passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrarunt: multi non Episcopi neque Clerici; juvenes & virgines, senes cum junioribus: multi conjugati & conjugata; multi patres matresque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in ejus martyrio

posuerant, & honorificante Patre coronas gloriosissimas receperunt. Te Deum laudamus.

## AD LAUDES.

## Hymnus.

**B**otvidi Laudes colere Devotis decet mentibus,

Qui suæ precis munere Nos servat à nocentibus.

**C**orpus arctat jejuniis, Ut spiritum non deprimat Christi vacat obsequiis; Ne vanitates hauriat.

**S**anctum reddit amabilem Cunctis vitæ sobrietas, Pudicum, castum, stabilem, Potas cibique parcitas.

**Q**ui Martyrem magnanimum Felicem post victoriam, Ad verum vexit gaudium, Ipsi canamus gloriam.

**O** fortitudo Martyrum Christe, Botvidi precibus Optatum nobis bravium Concedas in cælestibus. Amen.

**¶** Justus ut palma florebit.

**¶** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

## Ad Benedictus, Antiphona.

**O** turris fortitudinis, candens nocte carbunculus, corona pulchritudinis, puræ myrrhæ fasciculus, columna rectitudinis, cæcis & claudis baculus, noster ad sedem luminis promotor esto sedulus.

**In secundis Vesperis, à Capitulo fit de sequenti, ut in Communi unius Martyris.**

**Ad Magnificat, pro beato Olavo. Antiphona.** Adest dies lætitiæ, adest laudis materia, resultat vox Ecclesiæ, pulsant hymni cælestia: Martyr illustris hodie palmæ ferens insignia, feliciter ex acie ductus in palatio, per coronam victoriæ, vera migrans ad gaudia, stolam suscepit gloriæ Olavus Regum gloria.

## Oratio.

**D**eus, qui es Regum corona, & Martyrum victoria: tribue nobis, quæsumus, beati Olavi Regis & martyris tui pia apud te experiri patrocinia: ut per tuam, quam in ejus passione glorificamus, magnificentiam, coronam vitæ diligenter te percipiamus reprobamissam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum: Qui tecum vivit & regnat.

Dein



**Deinde pro commemoratione sancti Botvidi, Antiphona.** Vale robur debiliū, monstratus ab avicula, consolator flebiliū, puritatis ovicula: te pugilem mirificum tua laudat plebecula, numen petit salvificam pia desiens pericula, quam per tuum auxilium, vitæ subacta nebula, tractu ducat ad filium Pater vivens in sæcula. **V.** Justus ut palma florebit. **R.** Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

**Oratio.** **C**ordibus nostris, quaesumus Domine, ut supra. 22.

**DIE XXIX. JULII.**

In festo S. Olavi Regis & martyris  
Duplex.

In primo Nocturno leguntur **Lectioes de Scriptura occurr.**

In secundo Nocturno.

**Lectio IV.**

**O**lavus Rex Norvegiæ, Olavi Skothkonung, Suecorum & Gothorum Regis gener. Evangelicæ veritatis sinceritate in Anglia comperta, Rothomagi ad gratiam Baptismi devota animi alacritate pervenit. Purificatus lavacro salutari, non satis esse putabat, ut Episcopi & Sacerdotes continuè in Regno ejus Norvegiano Christi Evangelium prædicarent: sed novo rerum ordine ipse Rex Apostoli vice fungens, Christi gratiam passim omnibus prædicabat, innumerabilemque populi multitudinem Domino brevi acquisivit. Quod indignè ferentes plerique proceres Norvegiani, fidei Christianæ hostes, Canutum Danorum Regem contra eum incitarunt. Quorum ille perfidiam declinans, in Russiam secessit ad Jaroslaum Russiæ Ducem affinem suum.

**R.** Hodestam.

**Lectio V.**

**I**n Russia non parvo tempore demoratus, religionis & vitæ sanctissimæ celebrem atque jucundam reliquit memoriam. Per tæsi autem Norvegiani optimi Regis absentia, ipsam ab exilio ad Regni solium per Legatos revocant. Ille persuasus ab eis, per Sueciæ fines, magna Regis Amundi affinis, aliorumque propinquorum & amicorum gratulatione, in Norvegiam revertitur. Quo comperto veritatis hostes conve-

nerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus; belloque venientem excipere decreverunt, duce Canuto Danorum Rege.

**R.** Desiderium.

**Lectio VI.**

**O**ccurrit sanctus Rex inimicis cum exercitu, pro justitia & fide pugnaturus. Interea noctu apparet ei Dominus Jesus Christus, atque his verbis eum solatur: Veni dilecte mi, accipe coronam quam tibi præparavi in æternum. Qua visione confortatus, martyrio selatus obtulit; jam divinitus agnoscens scalam sibi ad cælos erectam, quam nuper in somnis viderat, per quam ad magnam illam multitudinem dulcedinis divinæ feliciter erat adscensus. Anno igitur Domini millesimo vigesimo octavo per quosdam demesticos homines improbos, à Canuto Rege pecunia corruptos oppressus, de castris ad Palatia æterni Regis, & de bello migravit ad pacem. Cujus sanctitatem Deus post mortem ejus multis declaravit miraculis.

**R.** Stola jucunditatis.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio VII.** Cap. 16.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

**V**eritas dicit, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. Quia nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est non appropinquat: nec valet apprehendere quod ultra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sed jam qui se à vitiis abnegat; exquirendæ ei virtutes sunt in quibus crescat. Nam cum dictum est, Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; protinus adjungitur. Et tollat crucem suam, & sequatur me.

**R.** O quantus fidei fervor invictissimi Martyris pectus ascenderat. qui in medio gentium ferarum constitutus, Non cessabat salutaris verbum cunctis prædicare!

**V.** Mul-



**F.** Multos habebat adversarios, qui viam Domini rectam conabantur evertere. Non cessabat salutis verbum cunctis prædicare.

**LECTIO VIII.**

**D**Uobus etenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Vensemur qualiter utroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne fortè aliis prædicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis; nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait: Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? Perfectus quippe prædicator, ut exemplum daret abstinentiæ, crucem portabat in corpore: & quia in se trahebat damna infirmitatis alienæ, crucem portabat in corde.

**R.** Rex inclytus Olavus, martyr Domini gloriosus, claritate confortatus divinæ visionis, exultans accessit ad locum passionis: Et per effusionem sanguinis pervenit ad palmam æternæ jucunditatis.

**F.** Felici commercio pro cælesti regnum commutans terrenum, Regem rex vidit in decore suo, & in salutari Regis, magna gloria Regis. Et per effusionem. **Gloria.** Et per effusionem.

**LECTIO IX.**

**Q**UI enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Sic dicitur fideli: Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Evangelium, salvam eam faciet. Ac si agricolæ dicatur: Frumentum si servas, perdis: si feminas, renovas. Quis enim nesciat, quod frumentum, cum in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit. Sed unde putrescit in pulvere, inde virescit in renovatione.

**T**e Deum laudamus.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

Egregius martyr Olavus nocte præcedente diem passionis, splendore amictum contemplatur Jesum adstantem sibi ac dicentem: Veni: chara meus: tempus est, ut

laborum tuorum dulcissimos percipias fructus.

**In II. Vesperis, ad Magnificat.**

**Antiphona.** Hodie pretiosus martyr Olavus ab inimicis veritatis occisus pro justitia, de castris victor ad aulam Regis æterni, de bello migravit ad pacem, quæ exsuperat omnem sensum.

**DIE XXXI. JULII.**

**In festo S. Helenæ viduæ & martyris. Duplex.**

**Ad Vesperas, Antiphona.** Dum esset Rex, cum reliquis de Communi non Virginum.

**Capitulum Prov. 31.**

**M**ulierem fortem quis inveniet? procul & de ultimis finibus pretiam ejus: confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.

**Hymnus.**

**F**elix parens Westgothia  
Gaudens plaude, multiplica,  
Pro tuæ prolis gloria  
Devota laudum cantica.

**H**elena martyr hodie  
Carnis abjecto pondere  
Cælestis aulam curiæ  
Scandit de mundi carcere.

**C**laris orta parentibus,  
Nobilitatem generis  
Bonis ornare moribus  
Cœpit ab annis teneris.

**P**ost maritale vinculum  
Deo se totam dedicans,  
Salutis fit spectaculum,  
Exemplis, signis emicans.

**D**eus creator omnium,  
Te poscimus terrigenæ,  
Ut nos ad cæli gaudium  
Prece perducas Helenæ. Amen.

**Ad Magnificat, Antiphona.**

Salve decus patriæ, Martyr Deo grata, ad laudem Westgothiæ cælitus donata; coram Rege gloriæ dignè jam locata, eadè Regni Sueciæ clemens advocata.

**Oratio.**

**L**argire nobis, quæsumus clementissime Deus, intercessione beatæ Helenæ martyris tuæ veniam nostrorum peccatorum, & quos ejus concedis solemniis gloriarari, da ejus precibus gloriosis cælitus adjuvari. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

**In primo Nocturno, Lektionen de Parabolis Salomonis, Mulierem fortem; ut in Communi**



## In secundo Nocturno.

## Lectio IV.

**H**elena nobilibus parentibus apud Westrogothos orta, post hiemem infidelitatis reluti nardus odorifera & stella matutina apparuit, exemplis radians, & signis coruscans. Hæc à puero, instar Susannæ, in lege & justificationibus Domini erudita est. Cum ad nubiles annos venisset, tradita viro, eum tamquam Sara Tobizæ uxor, cum timore Dei suscipere consensit. Mortuo autem viro, quamvis eam ad secundas nuptias ætas & opes vocarent, elegit potius Deo per spirituales nuptias conjugii, quæ à luctu incipiunt, & ad æterna gaudia ducunt, quam carnalibus nuptiis subjici, quarum lætitia initium est, finis vero luctus.

• propter veritatem.

## Lectio V.

**S**oluta igitur vinculo maritali, laboriosam viduitatis vitam tenens, Judith sanctæ mulieris imaginem in se expressit: nam omnibus diebus vitæ suæ jejuniis & orationibus Domino serviebat. Domus ejus viatori patuit semper; & de velleribus ovium ejus calefactus est pauper. Jerosolymam ad sepulchrum Domini contuendum & adorandum in iis locis, in quibus pedes ejus steterunt, maximo devotionis studio religiose profecta est. Dilexit præterea decorem domus Dei: nam magnam Ecclesiæ Scodvensis partem, in qua postea sacrum ejus corpus depositum fuit, suo sumptu exstruxit, Prophetiæ quoque spiritu donata, & mortis suæ diem, & locum sepulturæ longè ante prædixit.

• Dilexisti.

## Lectio VI.

**D**um sic mulier facta & Deo dilecta in assiduo bonorum operum exercitio versaretur, accidit ut gener ejus, vir nobilis, propter lævitiam, qua in conjugem exosam utebatur nimia, à servis, contumelias dominæ suæ iniquo animo ferentibus, occideretur. Ejus necis famulam Dei propinqui non modò consciam, sed auctorem fuisse iniquè calumniati sunt. Ipsa vero bonitatis & pacis filia, innocentiae alumna, beneficiebatur is, qui eam oderant, & ora-

bat pro persequentibus & calumniantibus se. Quadam igitur die, dum in villa Gotheve ad Ecclesiam iret, ab adversariis, gravibus inflictiis vulneribus, crudeliter interfecta est. Eam Alexander Papa Tertius, Carolo Saercheri filio, Suecorum & Gothorum Rege instante, ob sanctimoniam vitæ, & miraculorum operationem, in Sanctorum numerum retulit, anno Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto. • Fallax gratia.

## In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

## Lectio VII. Cap. 12. d.

**I**n illo tempore: Loquente Jesu ad turbas, ecce mater ejus & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Et reliqua.

De Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

## Tom. 7. Quadrag.

**M**atrem & fratres dicit Apostolos impletores paternæ voluntatis, qui à Deo Patre illum missum credebant. Nec negavit matrem de qua carnem assumpsit, sicut insaniunt Marcionistæ & Manichæi, qui eum dicunt non habuisse verum corpus, sed phantasticum: sed spirituales propinquitatem carnis prætulit consanguinitati; ut & nos doceret, in causa nullum de affectione carnis recognoscere. Unde adhuc sequitur: Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

• Lætare fidelium concio devota, novum fac tripudium nationis Westgotha, • Helenæ martyrium laudet mundi rota. • Cujus per mundum clarent miracula nota. Helenæ.

## Lectio VIII.

**Q**uod Dominus eum qui voluntatem Patris sui fecerit, fratrem & sororem vocat, propter utrumque sexum qui ad fidem colligitur, non est mirum. Valde autem mirum & quæsitum dignum est, quomodo etiam mater Domini dici possit. Nam & discipulos fratres dignatus est appellare post resurrectionem, ita inquit: Ite, nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater est in eum credendo, & Patris voluntatem implendo, quomodo



modo etiam mater fieri possit, investigandum est. Sed sciendum, quia sicut quis frater Domini efficitur in eum credendo, ita etiam mater prædicando. Quasi enim mater Christi quis efficitur, cum per ejus prædicationem amor Domini in proximi mente generatur.

**B.** Audi clemens Domina preces tuæ gentis, gaudens inter agmina curiæ gaudentis. **A.** Sis inter discrimina vitæ dux præsentis. **V.** Quæ fueras solita gemitus revelare dolentis. Sis inter. **Gloria patri.** Sis inter.

**LECTIO IX.**

**M**agna dignatio, inestimabilis bonitas, inenarrabilis misericordia, hominem, qui servus vocari dignus non fuerat, fratrem Domini appellare. Quam quia ex æquo perpendere non valemus, saltem dignè venerari satagamus. omnique industria laboremus, ne aliqua vitiorum sceditate degeneres, & tanto honore judicemur indigni. Defendamus nobis moribus id quod nomine vocamur: ne non intelligentes honorem divinæ filiationis, comparemur jumentis insipientibus, & similes illis simus: & ut ea quæ loquimur, obtinere mereamur, illius semper adiutorium nobis adesse poscimus, qui cum esset unicus filius Dei, propter nos dignatus est esse filius hominis, Jesus Christus Dominus noster, qui cum patre & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

**T**e Deum laudamus.

**Ad Laudes, Capitulum.** Mulierem fortem, ut supra. 25.

**Hymnus.**

**A**dest triumphus nobilis,  
Dies redit lætitiæ,  
Qua Martyr venerabilis  
Venit ad thronum gloriæ.

**T**hesaurizavit avidè  
Thesuros in cælestibus,  
Dum opes suas providè  
Disperdit, dans pauperibus.

**J**ejunans, orans, operans,  
Carnem domat & afficit;  
Cælestia desiderans  
Cum Deo mentem reficit.

**S**igna dedit insignia,  
Sardis auditum tribuit,  
Mundans lepræ contagia,  
Cæcis visum restituit.

**D**eus creator omnium,  
Te poscimus terrigenæ,  
Ut nos ad cæli gaudium  
Prece perducas Helenæ, Amen.

**Ad Benedictus, Antiphona.**

O beata Domina, dignè sublimata; audi tibi carmina pie decantata; tua per precamina dilue peccata, duc ad cæli limina nos desiderata.

**In secundis Vesperis, Magnificat, Antiphona.** Vade flos Westgothiæ, patriæ lucerna in via justitiæ devios gubernata, de valle Miseriæ nos duc ad superna, ut tecum in requie vivamus æterna.

**DIE II. AUGUSTI.**

**Commemoratio**

**S. Catharinæ Vastensis.**

**Antiphona.** Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

**V.** Specie tua, & pulchritudine tua **B.** Intende, prosperè procede, & regna.

**Oratio.**

**D**eus, qui Ecclesiam tuam beatæ Catharinæ præclaris decoras meritis, & gloriosis lætificas miraculis: concede nobis famulis tuis: ut ejus exemplis in melius reformemur, & ab omnibus adversis ejus patrocinio protegamur. Per Dominum nostrum.

**Et in laudibus, Antiphona.** Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam.

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis, **B.** Propterea benedixit te Deus in æternum. **Oratio** Deus, qui Ecclesiam tuam, ut supra.

**IN MENSE SEPTEMBRI.**

**Dominica proxima post festum.**

**S. Matthæi celebratur Festum Reliquiarum in Ecclesia Upsalensi.**

**Omnia dicuntur ut in Communi plurimorum Martyrum, præter ea quæ hic assignantur.**

**Oratio.**

**P**ropterea, quæsumos Domine, famulis tuis per merita gloriose Virginis Mariæ, & beatorum martyrum Laurentii, Erici, & omnium Sanctorum tuorum, quorum Reliquiæ in hac continentur Ecclesia, ut eorum pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum nostrum.

**Deinde fit commemoratio Dominicæ occurrentis.**



In primo Nocturno,  
De Actibus Apostolorum.

Lectio I. Cap. 5. b

**P**ER manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe, & erant unanimiter omnes in portica Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat se conjungere illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentiam in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis. Concorrebat autem & multitudo vicinarum civitatum Jerusalem, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis: qui curabantur omnes.

Ps. Absterget Deus.

Lectio II. Act. 19. b

**I**ntrogressus Paulus synagogam cum fiducia loquebatur, per tres menses disputans & suadens de regno Dei. Cum autem quidam indurarentur, & non crederent, maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregavit discipulos, quotidie disputans in schola tyranni cujusdam. Hoc autem factum est per biennium: ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent verbum Domini, Judæi atque Gentiles: virtutesque non quilibet faciebat Deus per manum Pauli; ita ut etiam super languidos deferrentur à corpore ejus sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur.

Ps. Viri sancti.

Lectio III.

**T**entaverunt autem quidam & de circumciantibus Judæis exorcistis invocare super eos qui habebant spiritus malos, nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ principis sacerdotum septem filii, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis: Jesum novi, & Paulam scio: vos autem qui estis? & insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium pessimum, & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.

Hoc autem notum factum est omnibus Judæis atque Gentilibus, qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu. Multique credentiam veniebant confidentes & annuntiantes actus suos.

Ps. Tradiderunt,

In secundo Nocturno.

De Sermone S. Gregorii Papæ.  
Homil. 32. in Evangelium.

Lectio IV.

**A**D sanctorum Martyrum corpora consistimus, fratres mei. Nam quid isti carnem suam in mortem darent, nisi eis certissime confitisset, esse vitam pro qua mori debuissent? Et ecce qui ita crediderunt, miraculis coruscant. Ad extincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt & sanantur: perjuri veniunt & dæmonio vexantur: dæmoniaci veniunt, & liberantur. Quomodo ergo vivunt illic ubi vivunt, si in tot miraculis vivunt hic, ubi mortui sunt.

Ps. Sancti.

Lectio V.

**Q**uod videri potest, melius dicitur sciri quam credi. Venturam ergo vitam nos Dominus voluit magis scire quam credere: qui eos quos invisibiliter recepit, apud se vivere nobis etiam visibiliter ostendit. Hos ergo, fratres charissimi, in causa vestri examinis, quam cum districto judice habetis, patronos facite: hos in die tanti terroris illius, defensores adhibete. Certè si apud quemdam magnum judicem causa quælibet vestra esset die crastina ventilanda, totus hodiernus dies in cogitatione duceretur, patronum vestra fraternitas quæreret, magnisque precibus ageret, ut apud tantum judicem sibi defensor veniret.

Ps. Verbera carnificum.

Lectio VI.

**E**cce districtus Judex venturus est: tanti illius Angelorum Archangelorumque concilii terror adhibetur, in illo conventu causa nostra discutietur; & tamen nos patronos modò non quærimus, quos tunc defensores haberemus. Ad sunt defensores nostri sancti Martyres; rogari volunt; atque ut ita dixerim, quærunt ut quærantur. Hos ergo auditores orationis vestræ quærite, hos protectores vestri



vestri reatus invenite: quia ne punire peccatores debeat, rogari vult & ipse qui iudicat. Unde & tam longo tempore comminatur iram, & tamen misericorditer expectat. Sic autem nos misericordia eius refoveat, ut nullo modo negligentes reddat: sic privata nostra perturbent, ut mens in desperationem non proruat: quia etsi praesumentes metuimus, & metuentes speramus aeternum Regnum citius adepturi sumus per eam qui vivit & regnat in saecula saeculorum.

*V.* Tanquam aurum,

*In tertio Nocturno,*

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

*Lectio VII.* Cap. 6. c

**I**n illo tempore: Descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, & turba discipulorum eius, & multitudo copiosa plebis ab omni Judaea, & Jerusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis. Et reliqua:

De Homilia S. Bernardi Abbatis.

*In festo omnium Sanctorum*

**L**egimus in Evangelio hodie, quoniam videns turbas Jesus, ascendit in montem. Praedican-tem enim Dominum de civitatibus & castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas, sanabat & corpora; & adhaerebant ei, affatu pariter & aspectu illius delectati: cuius nimirum vox suavis, & facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est quem nos sequimur, cui adhaeremus, totus desiderabilis: in quem non solum populi, sed & ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere.

*B.* Propter testamentum Domini & leges paternas.

*Lectio VIII.*

**Q**uid vobis suavius apponemus? Nimirum haec sunt deliciae Angelorum. Gustate proinde & videte, quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic saporis, huic sapientiae quae trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem, in terra fecunditatem? Sed à Deo haec universa dona sunt: nec dubiam quin multò amplius re-

servaverit sibi, quam dederit creaturis.

*B.* Sancti mei.

*Nona Lectio dicitur de Homilia Dominicae occurrentis.*

*DIE VI. OCTOBRIS.*

*Translatio sancti Aeschili Episcopi & martyris.*

*Duplex.*

*Omnia ut in Festo ejusdem, praeter Lectiones secundi Nocturni.*

*De Sermone sancti Ambrosii Episcopi.*

*In Natali sanctorum martyrum Nazarii & Celsi.*

*Lectio IV.*

**L**icet hic tantus Christi testis Vexionensium peculiaris patet privilegio sepulchri, sed omnium est communione suffragii. Neque enim istius urbis charitas proflua, & fidei avara, tantum huic Martyri derogaverit, dum sibi arrogat, ut solum erga moenia sua patrocinii illius beneficia affertura esse crediderit. Non clauditur locis, quod diffunditur meritis. Invocasti ubique Martyrem, ubique te exaudit ille, qui honoratur in Martyre. Moderante itaque eo qui pensat vota tua, & dispensat munera sua, in tantum vicina praesentia efficacis praebentur advocati, in quantum fuerit fides devota suscepti. Oratio enim quae castitatis, justitiae, eleemosynarum operibus adjuvatur, excedit mundum, penetrat paradysum, evolat usque ad ipsam summam Majestatis, Angelo conferente, conspectam.

*B.* Honestum fecit.

*Lectio V.*

**Q**uae cum ita sint, honoremus beatos Martyres, principes fidei, intercessores mundi, praecones Regni, coheredes Dei. Quod si dicas mihi: Quid honoras in carne jam resoluta atque consumpta, de qua jam nulla Deo cura est? Et ubi est illud, charissimi, quod ipsa Veritas loquitur per Prophetam? Pretiosa, inquit, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valde honorificati sunt amici tui, Deus. Honorare debemus servos Dei, quanto magis amicos Dei? de quibus alio loco dicitur: Dominus, inquit, custodit omnia ossa eorum, & unum ex his non conteretur.

*B.* Desiderium.

B 3

*Lectio*



## Lectio VI.

**H**onoro igitur in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices: honoro viventis memoriam in perennitate virtutis: honoro per confessionem Domini sacros cineres: honoro in cineribus femina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominum meam ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorant corpus illud fideles, quod reverentur & dæmones? quod & affixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo.

Stola jucunditatis induit eum Dominus.

DIE VII. OCTOBRIS.

In festo sanctæ Birgittæ viduæ.

Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Dum esset Rex, cum reliquis de Comuni non Virg.

Capitulum.

Prov. 31. b

**M**ulierem fortem quis inveniet, procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Confidit in ea cor viri sui, & spoliis non indigebit.

Hymnus

**H**ora confurgit aurea,  
Lux absque nube rutilat,  
Regna gaudent ætheræa,  
Mundus applaudens jubilat.

**N**am decor Regni Sueciæ,  
Birgitta clari germinis,  
Clara jam videt facie  
Splendorem veri luminis.

**E**x fructuosa vinea  
Virga processit gracilis,  
In ætate virginea  
Pulchræ Rebeckæ similis.

**S**picas virtutum colligit  
Ruth post terga metentium,  
Quarum te granis reficit  
Intra terram viventium.

**A**matrix innocentæ  
Castum ducens conjugium,  
Cor dedit sapientiæ,  
Vanum postponens gaudium.

**J**esu nostra redemptio,  
Fac nos in Regnis cœlicis  
Hujus Patronæ merito  
Sanctorum frui gaudiis, Amen.

Specie tua, & pulchritudine tua. Intende, prospere procede, & regna:

## Ad Magnificat, Antiphona.

Birgitta Christi famula, fidelis in officio, tu felix Anna vidua, templi vacans servitio, Rachel amore fervida, Jacob placens consortio, salus ægrotis placida, devotis consolatio, splendens justorum semita, mœstorum recreatio, fiat per tua merita grata nostra devotio; quæ reteras abscondita, nos offer lucis radice.

Oratio.

**D**omine Deus noster, qui beatæ Birgittæ per Filium tuum unigenitum secreta cœlestia revelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere latantes. Per eundem.

In primo Nocturno, Lectiones de Parabolis Salomonis Mulierem fortem, ut in Comuni.

In secundo Nocturno.

Ex Bulla Canoniz. Bonifacii IX.

Lectio IV.

**B**irgitta in regno Sueciæ, Birgero patre & Sigrida matre, illustribus piisque & devotis parentibus nata, toto vitæ suæ tempore eximie sanctitatis clarissima dedit argumenta & exempla. Cum adhuc in utero matris gestaretur, mater ex naufragio liberata, audivit per somnium, servatam se propter eam quam in utero portaret. Decimo ætatis anno, cum quadam die de passione Domini sermonem audisset, eumque cordi suo firmiter impressisset; nocte sequenti vidit Jesum in cruce sanguine recenti perfusum, de passione sua ipsam alloquentem. Qua existimante, eum tunc temporis fuisse crucifixum, & interrogante quisnam eum cruci tam dirè affixisset; respondit Dominus: Ab his hoc factum, qui contemnerent charitatem ipsius. Ex eo tempore in passionis Domini meditatione ita afficiebatur, ut numquam sine lacrymis de ea cogitare potuerit.

Propter veritatem.

Lectio V.

**T**radita à patre nobili & prudenti viro Ulfoni Nericiæ Principi, ipsum ad recitandas Horas beatissimæ Virginis, ad confessionem peccatorum singulis Feriis sextis faciendam, aliaque pietatis officia exemplo suo & frequenti sermone efficaciter incitabat: filios



lios suos & filias magna sollicitudine in timore Domini educabat: infirmorum & pauperum verè mater fuit, domo una pro ipsis assignata, cum magna humilitate illis ministrabat, pedes etiam eorum lavando & osculando. Postea una cum viro Compostellam ad sancti Jacobi sepulchrum profecta est: ubi in reditu Atrebatu in Galliis, marito in gravem incidente morbum, sanctum Dionysium noctu vidit, qui eam in eo mærore solatus est, & de viri salute rebusque aliis quæ futuræ essent, præmonuit.

**R.** Dilexisti.

**Lectio. vii.**

**P**ostquam reversi sunt in patriam, vir ejus Religionem Cisterciensium in monasterio Alva-Arensi professus est: illa verò audita in somnis voce Christi, ut sua sponsa esse vellet, mox habitum mutavit & vitam. Ab eo itaque tempore per viginti & octo annos, colloquiis cælestibus fruebatur, multasque profundorum Dei arcanorum revelationes habuit. Regulam S. Salvatoris ab ipso Domino acceptam, in monasterio Vastenensi instituit; in quo cum duos annos exegisset, divino monitu Romam profecta, omnes ad Dei amorem liberè exhortabatur; Regibusque, Principibus, Imperatoribus, & Pontificibus verba arcana in nomine Domini annuntiabat. Inde Jerosolymam adiit: ex qua peregrinatione cum in febrim incidisset, per annum integrum cum morbis gravibus conflictata, plena piis & sanctis operibus, Romæ feliciter ad Dominum migravit anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio, & à Bonifacio Nono Papa in numerum Sanctorum relata est. Corpus ejus in Sueciam ad monasterium Vastense translatum.

**R.** Fallax gratia.

**In tertio Nocturno.**

Lectio Sancti Evangelii secundum Matthæum.

**Lectio vii.** Cap. 11. d

**I**n illo tempore: Respondens Jesus, dixit: Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terræ, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Et reliqua.

Homilia sancti Hilarii Episcopi.

**In idem Evangelium.**

**C**ælestium verborum arcana atque virtutes sapientibus abscondantur, & parvulis revelantur: parvulis malitia, non sensu; sapientibus verò stultitiæ suæ præsumptione, non prudentiæ causis. Factique hujus æquitatem Dominus paternæ voluntatis indicio confirmat: ut qui dedignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant.

**R.** O facies Mosaica, solis coruscans radiis, sanctitate magnifica, magnis clarens prodigiis. **In requie pacifica sponsi fruens encarnis.** **V.** O femina mirifica, continuis lætifica servos tuos præsidis. **In requie.**

**Lectio viii.**

**A**c ne quid in illo minus, quàm quod in Deo est, æstimaretur, omnia sibi à Patre ait tradita esse, solique se Patri cognitum. Patremque soli sibi notum, vel cui ipse revelare voluisset, revelaturus ei à quo, ut revelare velit, oretur. Qua revelatione tandem utriusque in mutua cognitione esse substantiam docet, cum qui Filium cognosceret, Patrem quoque cogniturus esset in Filio; quia omnia à Patre ei sint tradita. Tradita autem non alia sunt, quàm quæ in Filio soli nota sunt Patri; nota verò Filio soli esse quæ Patris sunt. Atque ita in hoc mutuae cognitionis secreto intelligitur non aliud in Filio, quàm quod in Patre ignorabile sit, exitisse.

**R.** O canalem mundissimum, per quem de cæli cardine fuit, ut ros, eloquium ignitum sancto flumine. **Mentes inflammans hominum interiori lumine.** **V.** Ora Birgitta Dominum, ut nos post vitæ terminum cælorum locet agmine. **Mentes. G**loria. **Mentes.**

**Lectio ix.**

**L**egis deinde difficultatibus laborantes, & peccatis sæculi oneratos, ad se advocat, dempturumque se laborem onusque promittit, si modo ejus jugum tollant; mandatorum scilicet suorum præcepta suscipiant, eumque sacramento crucis adeant, quia corde humilis & mitis sit, & in his animabus suis requiem inveniant, jugi suavis, & levis oneris blandimen.



menta proponens, ut credentibus  
ejus boni scientiam præbet, quod  
solus ipse novit in Patre. Et quid  
jugo ipsius suavius? quid onere  
levius? Probabilem fieri, scelere  
abstinere, bonum velle, malum  
nolle, amare omnes, odisse nul-  
lum, æterna consequi, præsen-  
tibus non capi, nolle inferre al-  
teri quod ipsi sibi perpeti sit mo-  
lestum.

**T**e Deam laudamus.

**A D L A U D E S.**

*Hymnus.*

**C**æli perornat gaudia,  
Causam præstat lætitiæ  
Birgitta Rosa fulgida,  
Pax & decus Ostgothiæ.

**B**eata pauper spiritu,  
Palmas extendens pauperi.

Læto vultus intuitu  
Manam porrexit inopi.

**S**oluto matrimonio  
Postquam vir mundo moritur.

Devoti cordis osculo  
Christum sponsum amplectitur.

**S**ponsus dilectam suscitatur,  
Veni, vocans, ad Libanum.

Surgit amica, properat.  
Regalem petens thalamum.  
**M**ontes petit aromatum  
Hæc affluens deliciis,  
Donis plena charismatum  
Vitam servat à vitiis.

**J**esa nostra redemptio,  
Fac nos in regnis cælicis  
Hujus Patronæ merito,  
Sanctorum frai gaudiis. Amen.

**V.** Diffusa est gratia in labiis tuis.

**R.** Propterea benedixit te Deus in  
æternum.

*Ad Benedictus, Antiphona.*

Corona sponsa prædita, præsentata  
per Virginem, plebem devoram  
visita, tuam rege progeniem, um-  
bram mortis illumina, noctis aufer  
caliginem, pedes nostros justifica  
in pacis pulchritudinem.

*In II. Vesperis, ad Magnificat,  
Antiphona.* Vale suavis musica,  
demulcens aures Principum: tu  
Gedeonis buccina, castra deterrens  
hostium: tu dulcis tympani-  
stria corda movens fidelium: con-  
verre mater inclyta luctum no-  
strum in gaudium.

Vidi, emendavi, & retuli,

**R.** Cardinalis BELLARMINUS.













Mist. Lee. 1528



